SPECTRUM ENDOREUM,

ex 1. Sam. 28.

Auſpice Numine Summo,

Sub præſidio

VIRI

Plurimum Reverendi, Excellentiſſimi, Clariſſimi,

DOMINI

JOHANNIS ERNESTI GERHARDI, SS.

Theol. Doctoris, & in inclytâ ad Salam Univerſitate Prof.

Publ. longè celeberrimi, Præceptoris, Fautoris ac Patroni

filiali obſervantia æviternum colendi,

Publicæ eruditorum diſquiſitioni expoſitum,

Ab Autore & Reſpondente

BENEDICTO Hahn / Amſtelodamenſi-Batavo.

Ad diem 20. Auguſti Anno 1663.

EDITIO TERTIA

auctior & emendatior.

JENÆ,

LITERIS JOHANNIS NISII.

ANNO MDCLXXXIV.

A 5078

THESIS I.

VEriſſimum eſſe illud Iſidori lib. 3. de Summo Bono, dictum: *Diabolus tanquam Serpens lubricus, quando decipere quemquam tentat, in varias ſeſe transmutat formas, jam in vulpinam, jam in leoninam: jam ſuaviter blanditur, ut fallat, jam ſævit, ut terreat.* Veriſſimum, inquam, eſſe hoc dictum, longiſſima rerum experientia jam dudum, maximo ſæpè miſerrimorum hominum damno, demonſtravit. Unde etiam religioſiſſimus ille Abbas Claræ-vallenſis, Bernhardus ſerm. 3. de ſept. panibus col. 183. in hæc erumpit verba: *Inimicus ille, quem nec videre poſſum, quanto minùs cavere, nunc apertè & violenter, nunc occultè & fraudulenter, ſemper autem malitiosè & crudeliter me impugnat.* Experti hoc fuerunt, cum amiſſione pretioſiſſimi theſauri, à primis mundi principiis, primi noſtri Parentes. Ab illis enim *nil mali ſuſpicatis, ater ille Spiritus, ſerpentem indutus lubricum lubricus, inſidioſum inſidioſus, tacitè irrepentem tacitè irrepens, lucum ſacrum, humanæ Scholæ cathedram, arborem ſcientiæ occupans,* decipiendi initium fecit. *Poſtea non animum, ſed hoſpitium* (ut verbis Dn. D. Danhavveri in Theol. Conſc. utar:) *non ſuggeſtum, ſed veſtem; non ſenſum, ſed exuvias mutavit, veterator ſemper novus, immani ſpirarum gyro lubricus, verus Protheus, omnia transformans ſeſe in miracula rerum, ignemq; horribilemq; feram, fluviumque liquen-*

tem: præter ſerpentinas induvias alias quoquelarvas elegit verſipellis Spiritus, in omnes occaſiones humanæ calamitatis augendæ, intentus, vigil, aſſiduus. Fruſtanea, inſufficientia, miſera ergo ſunt arma, quæ Pontificii hujus calliditati opponere ſtudent. *Qui enim acumen humanum cum ingenio Diabolico comparabitur, artes noſtræ cum experientia ultra quinquaginta ſeculorum.* (dicit idem author in Hodoſ. phænom. 4. p. m. 276.) Non arma proſunt corporalia, non ſuffitus non herbæ & rapices, ſigna crucis, aqua luſtralis, ignes accenſi, & alia cerebellorum Monachicorum figmenta, quibus tamen adversùs inſidioſiſſimum hunc Spiritum, multa effici, ſibi miſerè imaginantur. Aſt valeant cum ſuis fabulis fabuloſi, & fumos vendant Monachi iis, qui fumis paſcuntur: nobis illa non placent, ſed magis arridentea, quæ Divus Apoſtolus Petrus in Epiſt. 1. c. 5. v. 8. hujus inſidiis ſævis, & ſævitiæ inſidioſæ, opponenda prædicat. Νήψατε, γρηγορήσατε, ὅτι ὁ ἀντίδικος ὑμῶν διάβολος, ὡς λέων ὠρυόμενος, περιπατεῖ, ζητῶν τινα καταπίῃ. Si ergo Diabolus intentus, aſſiduus, vigil, ut nos decipiat & fallat, eadem opponere debemus, intento intentionem, aſſiduo aſſiduitatem, vigili vigilias, non Papiſticas quidem, aut monachales, ſed Apoſtolicas, Petrinas. Hiſce enim ſi non perpetua oratione intenti fuerimus, actum nobiſcum erit, ſuccumbere nos, hoſtemque victoriæ palmam nobis præripere, videbimus; obambulat enim ut leo ὠρυόμενος, qui minimam nactus occaſionem invadit, & non-vigilantem abſorbet. Elegantiſſimè utitur Apoſtolus exemplo leonis, utpote cujus calliditas & ſævitia, hujus callidam ſævitiam, & ſævam calliditatem, illa annotata à Phyſicis, hanc in Scripturæ ſacræ voluminibus expreſſam, non male repræſen-

sentat. Calliditatis hujus leoninæ exemplum supra in deceptione Proteplastarum habuimus. Sævitiæ in loco jam tractando habebimus. Quàm blandis enim Evam aggressus verbis, suæ suavitati amaræ speciem dedit, tam duris Saulum verbis aggressus, sævitiæ suæ non speciem tantùm, sed ipsam repræsentavit. Verùm quia de utroque ambigitur loco, num nimirum Diabolus sub Serpente, aut Samuelis forma latuerit, visum fuit accuratiori posteriorem (sicuti ante aliquot menses circa priorem fecimus) oculo inspicere, & quantum ex cohærentia textûs, vel aliorum S. Scripturæ locorum adductione, fieri poterit, veritatem indagare: *num videlicet Sathanas, assumta Samuelis forma, à Pythonissa vi artis magicæ provocatus, apparuerit; An vero ipse Samuel, à Deo incantationes præveniendi gratiâ missus, propriam personam sustinuerit.* Quod ut feliciter præstemus, faxit ille, cui veritas omnis optimè nota.

2. Non pridem est, quòd locus noster variis authorum & interpretum sententiis fuerit expositus: neq; enim sub Papatu primùm hæc ei sors contigit: sed ab ipsis Ecclesiæ Christianæ incunabulis, cùm nondum Romana sedes tam altas egisset radices, variè disceptatum ab Ecclesiæ doctoribus: Num verus Samuel fuerit, qui ad petitum Saulis, vi incantationis magicæ dicto loco apparuisse commemoratur? an vero tantùm Spectrum aliquod Diabolicum, externam Samuelis speciem & formam repræsentans? Utraque sententia suos semper nacta propugnatores, tam illa, quæ verum Samuelem apparuisse statuit; quàm ista, quæ spectrum Diabolicum tantùm fuisse id, quod apparebat, affirmavit. Ab utraque parte multæ rationes in medium prolatæ, quas plausibiliores af-

ferre se, quisque sibi imaginabatur. Qui verum Samuelem apparuisse defendebant, sepositis aliis argumentis, literali verborum sensui se adhærere existimabant. Qui vero alteram defendebant sententiam, tam plausibiles videbantur sibi afferre rationes, ut à literali verborum sensu recedendum esse putarent. Alii, gravissimas ab utraque parte stare rationes, videntes, aliquando hæsitarunt, dubii, cui veritatem attribuerent. Augustinum, Hipponensium in Africa Episcopum si adierimus, deprehendemus eum aliquando maxime hæsitantem, ancipitem, & ferè nescium, quam tandem sententiam arripere velit. Num verum Samuelem apparuisse affirmantibus applaudere debeat? an vero contrarium defendentibus adstipulari? Libr. enim 2. ad Simplicianum q. 3. tom. 4. *utramque sententiam defendi posse*, ait. Quanquam, rationibus & argumentis pro utriusque sententiæ affirmatione adductis, diligenterque à se pensitatis, subjungat: *Facilius responderi posse, si dicamus, non fuisse Samuelem, sed tantùm phantasma ac spectrum.* Et hanc suam sententiam postea, refutatione objectionum partis adversæ, acriter defendit. Quando objiciebant, Scripturam de eo ut vero Samuele loqui; respondet: *Eam esse consuetudinem Scripturarum, ut similitudines appellent nomine ipsarum rerum, quas repræsentant.* Quòd verò prædixerit ille personatus Samuel, quid esset eventurum, respondet: *nec mirum, nec novum id videri debere: Diabolos enim dixisse, Christum esse Filium Dei, & præclarum testimonium doctrinæ Pauli dedisse, ac Deum hoc loco usum fuisse operâ Diaboli, ut Saulum perterrefaceret, ut qui malos Spiritus consuluisset, malo responso affligeretur.* Ad alias etiam objectiones & argumenta respondet, quæ loc. cit. videri possunt. 3. Sic-

3. Sicuti verò Auguſtinus in primitiva Eccleſia aliquando dubitanter hac de re locutus fuit, ſic & noſtro adhuc tempore reperti, ſed hi pauciſſimi, (etiam inter eos, qui aliàs non ſtant à partibus Pontificiorum, quorum ferè communis ſententia eſt, verum Samuelem Sauli apparuiſſe, uti deinceps referemus) qui incerti fuiſſe videntur, ecquid tandem hic ſtatuendum ſit. Johannis Druſii hæc ſunt verba, in commentariis ſuper *c.46,23.* Siracidis. *Vero Samueli tribuit* (nim. locus Siracidis) *quod alii imaginario. De hac re quæſtio magna eſt inter doctos. Auguſtinus utramque ſententiam defendi poſſe, ait libr.2.ad Simpl. q.3. Cum autem Scriptura nihil certi definiat, in tanta opinionum diverſitate non debemus temere hanc vel illam falſi damnare. Vetuſtas certè credidit,* (At pauci admodum è Patribus id affirmarunt, ceu infrà oſtendemus.) *à vero Samuele hæc geſta eſſe: quod ex hoc loco colligi poteſt. Quamquam nihil abſurdum, ſi quis dicat, Jeſum de imaginario Samuele locutum fuiſſe, tanquam de vero, cùm etiam Sacræ literæ ita loquantur. Ut ut ſit, ubi de ſententia controvertitur, à calumniis tutus eſſe debet, qui hoc dicit, quod Scriptura dicit.* Quæ verba etſi maximè dubitantia, tamen quænam fuerit Druſii mens & ſententia, ex iis colligi poſſe videtur, dum à calumniis liberum vult eum, qui cum Scriptura loquitur. Metuens fortaſſe, ſi candidè ſententiam ſuam propoſuiſſet, fore ut calumniis excipiatur. Alios, ſiqui fortè hac in materia aliquando hæſitarunt, mittimus. Illud ſolùm monentes, quod Jodocus Coccius, Doctor Theologus Pontificius & Canonicus Juliacenſis in Theſauro Catholico t.1. l.5. ſententiam Pontificiorum Adverſariorum ipſorum, quos vocat, conſenſu confirmare ſatagens, non niſi duos, & hos quidem è Calvinianis, è Lutheranis nullum, adferre

ferre potuerit. Et ex his ipsis tamen Conradus Pellicanus, loco à Coccio allegato in eam inclinat sententiam, quòd Saul non nisi spectrum Samuelis, velut personam apparentem viderit; ceu cuivis, verba à Coccio adducta vel obiter adspicienti patet. De Bodini, qui non Theologus, sed Politicus saltem ac Historicus fuit, non est quòd magnopere sibi Coccius gratuletur consensu. Notum enim, quòd à gravissimis viris temeritatis accusatur.

4. Properamus ad cognoscendam sententiam eorum, qui aliquid certi hac in re vel affirmarunt, vel negarunt, & quænam ipsorum de hac Samuelis apparitione, fuerit sententia, candidè aperuerunt. Duplici hi sunt in differentia. Aliqui enim veram fuisse Samuelis animam, quæ apparuerit, statuerunt, ut Pontificii communiter, quidam Judæi, quidam Patres, ac fortè unus atque alter è Calvinianis. Alii contrà non animam Samuelis, sed Spectrum Diabolicum, vi artis magicæ provocatum, ascendisse affirmarunt. Ita Orthodoxi communiter, multi Patres, quin nonnulli ex Judæis, imò ex ipsis Pontificiis.

5. Primam ergo sententiam, nimirum *veram Samuelis animam fuisse*, quod Sauli apparuit, tanquam pro aris & focis pugnantes, defendunt, uti dictum, communiter Pontificii. Audiatur Martinus Del Rio Disq. mag. l. 2. q. 6. p. m. 113. *Duo sunt* (inquit) *in Sacris literis, de quibus admodum ambigitur, an veri, an apparentes tantùm effectus fuerint. Prius est de suscitato per pythonissam Samuele. Illusoriis annumerant, qui volunt, non ipsam Samuelis animam, sed Dæmonem larvatum & subditititium advenisse. Scriptores sanè graves hoc arbitrati. Verùm Divus Augustinus libro de cura pro mortuis c. 15. affirmanter asseve-*

rat

rat (quem plerique cum Toſtato & Lyrano ſequuntur neoterici alibi a me laudati) veram Samuelis animam apparuiſſe Sauli, non vi carminis magici evocatam (hoc enim rectè Tertullianus & ejus ſequaces refellunt) ſed Dei imperio adventantem, ut impium regem corriperet eumq; ad pœnitentiam, denunciato mortis metu, provocaret. Hæc mihi ſententia videtur verior, atq; ſecurior, nondum enim adverſarii ſatis efficaciter reſpondere clariſſimo teſtimonio libri Siracidæ, ubi de Samuele iſta legimus: Et poſt hoc dormivit (id eſt mortuus quievit) & notum fecit regi (cui, ſi non Sauli? & quando ſi non hac vice?) & oſtendit illi finem vitæ (prædixit eum die craſtino moriturum) & exaltavit vocem ſuam de terra in prophetia. Quid hoc eſt, niſi egreſſum ex inferno, qui eſt in terræ centro? quid hoc, niſi quod loquens propria voce prophetavit? utique non eſt alius, quam qui mortuus dormierat. Hæc ille, quem confer etiam ibid. q. 26. Sect. 4. p. m. 277. Cardinalis Bellarminus lib. 4. de Chriſto Cap. 10. ita Pontificiorum ſententiam plauſibilem reddere ſatagit: *Eam* (inquit) *fuiſſe veram Samuelis animam, aperte liquet ex verbis textus. Cum vidiſſet mulier Samuelem. Item, dixit Samuel ad Saul. Item, intellexit ergo Saul, quod Samuel eſſet. Certe non diceret ſcriptura,* intellexit, *ſed* putavit, *vel* cogitavit, *ſi non eſſet verum. Præterea in Eccl. c. 46. ponitur in laudibus Samuelis, quod mortuus prophetaverit & annunciaverit Regi, quæ ventura erant. At, quæ laus eſſet, ſi non ipſe, ſed Dæmon aliquis in ejus forma apparens, futura prædixiſſet?* Cornelius a Lapide in Comment. in Eccleſ. c. 46, 23. *Quæritur,* (inquit) *an verus fuerit Samuel, qui apparuit Sauli, an Phantaſticus? ſive an verè apparuerit anima Samuelis an ejus larva per illuſionem Dæmonis? Nonnulli*

veteres, quibus non satis cognita fuit fides & authoritas hujus libri Ecclesiastici, censent, fuisse Samuelem phantasticum, ac larvam illusionemq; Diaboli, puta Dæmonem in specie & forma Samuelis. Verum contrarium longe verius est, scilicet: apparuisse vere ipsam animam Samuelis, in corpore aëreo assumto, quale assumunt Angeli, dum hominibus apparent, add. idem Comm. in I. Reg. 28. Estque hæc communis Pontificiorum hodie sententia. Ita statuunt Hieronymus Baptista de la Nuza, Th.D. ac provinciæ Aragoniæ primum Provincialis, postmodum Barbestensis Ecclesiæ Episcopus, Tract. Evang. tr. 7. p. 590. Johannes Paludanus, Th. D. & Prof. Lovan. in Vindic. Theolog. p. 84. Augustinus Torniellus Annal. Sacr. ad A.M. 2977. & Jesuitæ prope unanimiter. Vid. Martinus Becanus in Manuali Controv. lib. I. cap. 8. n. 11. Petrus Cotonus Instit. Cathol. lib. 4. c. 11. Jacobus Gretserus in Defens. Bell. t. 1. p. 259. Benedictus Pererius in c. 7. Exod. Disp. 8. p. 211. Franc. Suarez in 3. p. Thomæ t. 2. q. 52. Disp. 42. Sect. 2. Gasp. Sanctius Centumputeolanus, sacr. litt. in Acad. Complut. Profess. Comm. in l. 1. Reg. c. 28. Franciscus de Mendoza Olisipponensis & in Acad. Eborac. sacr. litt. Prof. Comm. in 1. l. Reg. t. 2. p. 80 & 386. alii. Addantur etiam Cajetanus, Dionysius Carthusianus, Hugo & alii in 1. Reg. 28.

6. Ad sententias horum Auctorum notamus. I. Scopum, propter quem Pontificii veram Samuelis animam apparuisse defendunt, esse falsam hypothesin. Probare nimirum hinc conantur apparitionem animarum, cui deinde purgatorium suum, totius regni Pontificii fulcrum superstruunt. Quomodo enim ex apparitionibus animarum jam tum multis abhinc seculis purgatorium Gregorius Magnus defendere conatus fuerit, videre est ex ejusdem lib. 4. Dial.

c. 40.

c.40. (Sunt tamen, qui dialogorum istorũ authorem Gregorium M. esse, dubitant, videatur D. Balduinus l. 3. c. 7. cas. consc. p. m. 617. Daniel Chamier t. 3. Panstrat. l. 26. c. 10. §. 31. Adde etiam Antonium Possevinum in Appar. sacrop. 663.) Narrat enim animam Paschasii Diaconi, post multum temporis a morte apparuisse Germano Episcopo Capuano in thermis angulanis, cumque Germanus vidisset Paschasium in thermarum caloribus stantem, ipsum quæsiviſse, quid illic vir tantus ageret? Illum vero respondisse, se ideo loco illi pœnali deputatum, quia in schismate Pontificum, in parte Laurentii contra Symmachum stetisset, addidisse autem: *Quæso tu pro me Dominum deprecare: atque in hoc cognosces, quod exauditus sis, si huc rediens me non inveneris.* Quo quid fabulosius? Id quod nec ipsi saniores pontificii dissimulare potuerunt. Quemadmodum Melch. Canus in LL. Theol. l. XI. c. 6. p. 337. scribit: *Magni Authores labuntur interdum, oneri & cedunt, vulgoque interdum indulgent. Quæ ego de Gregorio & Beda jure fortasse dicere possum, quum ille in Dialogis, hic in Historia Anglorum vulgo jactata & credita miracula scribunt.* Et iterum: *Lector admonendus, ne illi statim persuasum sit, omnia, quæ magni nominis autores scripserunt, undique esse perfecta. Nam labuntur &c.* Talia vero plura vide apud B. D. Balduinum l. c. & Martinnm Del Rio l. 2. Disq. mag. q. 26. sect. I. ubi hic, postquam eos, qui apparitionem animarum post mortem negant, variis calumniis & scommatibus excepisset, subjungit: *Causa,* (propter quam negant apparitionem animarum) *hos omnes vehementer stimulans est, quod hac mortuorum apparitione valide purgatorii fidem stabiliri percipiant.* 2. Notamus etiam, sententiam Pontificiorum non convenire cum nonnullis veterum, qui

etiam veram Samuelis animam, aut vere Samuelem apparuisse statuunt. Hi enim plerique, & ferme omnes quotquot in ea sententia sunt, quamvis defendant, veram Samuelis animam apparuisse, statuunt tamen eum vi artis magicæ fuisse provocatum, quibus cum Pontificii aperte in faciem contradicant, valde peculiarem eos sententiam defendere patet, quam eum ex Patribus probare conantur, seipsos proprio gladio jugulant, quia, licet in una parte Pontificiis patrocinari illi videantur, in altera tamen iisdem manifeste contradicunt, uti postea pluribus demonstrabimus. Nunc aggressuri

7. Sententiam Judæorum & Rabbinorum, quos à sua parte stare Pontificii clamitant. Vid. Bellarm. lib. 4. de Christo c. 11. Jodocus Coccius Thesauri Cathol. t. 1. lib. 5. art. 10 p. 527. alii. Primum inter hos apud partem adversam locum sustinere videtur Josephus, rerum Judaicarum annotator alias diligentissimus. In sententiam hanc allegatur & a Bellarmino l. 4. de Christo c. 11. *Quamvis*, scribit, *non desint, qui negant, illam fuisse veram animam Samuelis, tamen opinio contraria & probabilior, & communior, & tutior est. Id enim docent Josephus Antiquit. l. 6. c. 15. &c.* Pariter ad Josephum provocant Coccius l. c. Sanctius d. l. Corn. à Lapide, alii. Martinus Del Rio l. 2. Disq. mag. q. 26. sect. 4. p. m. 277. At quomodo docet Josephus, veram Samuelis animam apparuisse? nimirum tali modo, ut ipsi Pontificii, stante sua hypothesi, eum rejicere cogantur. Verba enim ejus inter alia l. 6. Antiq. c. 15. hæc sunt: *quæri imperat mulierculam quamquam ventriloquam, & manes elicere callentem, quo vel sic rerum eventum prænosceret. Nam ventriloquorum genus evocatis defunctorum animabus pro ea futura sciscitantibus prædicunt.*

cum. Hiſce verbis num ſententiæ ſuæ fundamenta ſuperſtruere poſſint, ipſos Pontificios judicare velim: non enim ſolum putavit Joſephus, veram Samuelis animam apparuiſſe, ſed apparuiſſe vi artis magicæ excitatam. Imo videtur Joſephus hanc virtutem adſcribere omnibus pythaniſſis & ventriloquis, ut, quando velint, ab inferis excitent mortuos, & eos conſulant. Quæ ſententia tamen aperte & Bellarmino & aliis Pontificiis e diametro eſt oppoſita, quia hi non tantum negant, pythoniſſam poſſe excitare mortuos, ut futura prædicant, ſed & peculiariter de hac Samuelis apparitione ſtatuunt, eam non vi artis magicæ fuiſſe peractam, ſed potius Deum incantationes prævenientem miſiſſe Samuelem. Conf. Martinum DelRio l. c.

§. Alios quod attinet Judæos, ulterius adhuc illi, quam Joſephus progrediuntur: non enim tantum Samuelem vi artis magicæ excitatum ſtatuunt, ſed innumeris fabulis & figmentis hiſtoriam hanc conſpurcant. Alii enim, quando habetur in textu de pythoniſſa, quod viderit Deos aſcendentes, finxerunt, Samuelem una cum Moſe apparuiſſe. *Nam Samuel, cum videret ſe evocari, ivit ad Moſen, quia timuit vocari ad divinum judicium. Dixit autem Moſi: veni mecum. Nam fortaſſe, quod abſit, vocor ad judicium, verum tu mihi teſtis eris, nullum eſſe in tota lege tua literam, quam non implevi.* Verba ſunt Rabbi Eleazaris in Talmud lib. Hagiga, citata à Jodoco Coccio l. c. ad quæ etiam DelRio lib. 2. Diſq. Magic. q. 26. ſect. 4. provocat. Illis vero fabulis, quid inſulſius? ideoque ab ipſo Lyrano in h. l. irridentur. Alii Judæi Samuelem non capite deorſum verſo, ſicut alias communiter aſcendere ſoleant illi, qui vi artis magicæ evocantur, ſed ſurſum verſo ac pedibus deorſum verſis aſcendiſſe Samuelem

somniarunt, ut nimirum honorem regiæ Majestati deferret. Ita habetur in Midras Vajickra, ad verba Levit. c. 20. ceu allegat ex ipsis Pontificiis Jod. Coccius l. c. Et hoc tamen pro confirmatione suæ sententiæ, ad probandum Samuelem non vi artis magicæ evocatum, sed à Deo incantationes prævenienti, missum fuisse, at falso Pontificii citant. Sicuti infra pluribus videbitur. Hisce & aliis fabulis, quibus Judæi nodum hunc solvere voluerunt, à Martino DelRio non tanti æstimantur, ut pro firmo argumento testimonium illorum velit, sed saltem ut nugas & larvas adversus larvas in medium proferat. *Sexta probatio* (inquit l.c. p. 276. *desumi potest ex sententia Chaldæorum, Mahumetanorum, Cabalistarum, & Rabbinorum, quorum omnium unanimis sententia, animarum apparitiones recipiendas decernit. Loquor de Synagoga jam reprobata post Christum. Josephum hoc voluisse, constat, quia censuit veram Samuelis animam apparuisse &c.* Et post longam aliarum nationum, etiam barbararum, recitationem, hæc subjungit: *Hos visum fuit adducere, non quod iis,* (inter quos Rabbini & Josephus) *quicquam tribuam: sed quod contra Epicuræos, qui scripturam sacram rejiciunt; & contra hæreticos* (quos per hos intelligat, non opus est interpretari) *qui Ecclesiæ perpetuam sententiam aspernantur, uno dicam verbo contra larvas & nugones, larvas etiam & nugas in aciem producere cogamur.* Quamvis argumenta reliqua, quæ adducit, non multo melioris sint conditionis. Missis ergo Judæis

9. Videbimus etiam Patrum eorum sententiam, quos partes suas defendere Pontificii volunt. *Augustinus* libr. de cura pro mortuis gerenda c. 15. à Cornelio à Lapide in c. 46. Siracidis, Bellarmino l. de Christo 4. c. 11.

Beca-

Becano lib. 1. de purgat. cap. 8. §. 11. Jodoco Coccio t. 1. Thes. Cath. p. 526. a. aliisque citatur. Becanus hæc ex loco Augustini jam citato verba assumit: *Samuel Propheta defunctus vivo Sauli regi futura prædixit,* & ex iis verum Samuelem Sauli apparuisse, probare conatur. At præterquam, quod supra vidimus mentem Augustini, ex alio ejusdem loco, puta lib. 2. ad simplic c. 3. quando dicit facilius responderi posse, si dicamus non fuisse Samuelem, sed tantum phantasma ac spectrum, notandum, quod ipse in hoc loco sequatur tantum ductum libri Siracidis apocryphi, uti ex immediate sequentibus verbis patescit. Præterea & id observandum, quod Becanus sententiam Augustini truncatam alleget. Statim enim subjicit idem pater augustissimus d. l. *Quamvis nonnulli non ipsum fuisse, qui potuisset magicis artibus evocari, sed aliquem Spiritum, tam malis operibus congruentem, illius existiment similitudinem figurasse.* Quæ verba prioribus addita satis clare monstrant, Augustinum non aperire hic mentem suam, sed tantum citare librum Siracidis, & deinde subjungere sententiam aliorum, qui contrarium sentiunt ab eo, quod Sirach sentire videtur, quod ipse etiam Augustinus l. 2. ad simpl. facit. Ideoque conferenda loca, in quibus aperte mentem suam declaravit, & tum apparebit, quænam fuerit Augustini mens, de hac Samuelis apparitione, h. e. eum ipsum non Pontificiorum, sed nostram defendere sententiam. Neque enim Augustinus in libro de cura pro morte gerenda, sed l. 2. contra Simpl. propriam suam sententiam proponit. Falsumque est, quod Jod. Coccius l. c. p. 525. ac Sanctius in 1. Reg. 28. scribunt: *Augustinum opinionem suam, quam lib. 2. ad Simplic. proponit,* in lib. de cura pro mort. gerenda *retractasse.* Cæterum

terum & Basilium Magnum sententiam Pontificiorum etiam tenuisse, Bellarminus l. c. Jodoc. Coccius d. l. Sanctius Comm. in 1. Reg. 28. aliique volunt. Sed nec ille Pontificiorum sententiam defendit: In loco enim a Bellarmino, & Coccio citato, Epist. nimirum 80. ad Eustachium, dicit: *Mulierem illam pythonicam, quæ Samuelem ab inferis incantationibus suis evocavit, cum videret animas, quæ requirebantur, Deos se vidisse, dixisse.* Adeo, ut juxta Bellarminum, Basilius in hisce verbis hoc spectarit: plures fuisse qui apparuerint, qui tametsi revera Dii non essent, tamen se Deos illos vocasse. Sed hoc nihil pro vero Samuele. Si vero Bellarminus aliique Pontificii urgere illa Basilii verba velint, quando d. l. dicit: *Mulierem illam pythonicam incantationibus suis Samuelem ab inferis evocasse*: tunc apparet: quod in eo Basilius aperte contradicat, statuens, *Samuelem incantationibus Pythonicæ mulieris evocatum fuisse*, cum Pontificii adserant, *à Deo id factum*, minime vero à pythonissa. Sed quod Basilius haut quaquam verum Samuelem, sed spectrum saltem Sauli apparuisse statuat, adeoque nullatenus Pontificiorum sententiæ faveat, clare apparet ex commentariis ejus in cap. Esaiæ octavum, ubi quod in epistola 80. paulo ante allegata ambigue dixerat, explicat, dum scribit: *Dæmonas* (N. B.) *sæpe vaticinari & annunciare, quæ sententiâ & decreto Dei constituta erant & palam evulgata. Sicuti*, pergit, *pythonicus ille spiritus, quem consulult Saul per divinatricem, futuram stragem annunciavit, ministerio Dæmonum. Nam erant Dæmones*, (N. B.) *qui stridentes seipsos transformarant*. Atque hinc etiam Mart. del Rio lib. 2. disquis. Mag. q. 6. p. 113. in margine annotat, Basilium M. in c. 8. Es. sententiam illam *aperte tenere*, quod Dæmon saltem larvatus advenerit.

10. Pro

10. Proſtabilienda Pontificiorum ſententia producitur quoque à Jodoco Coccio l. c. p. 526. a. Hieronymus, ad C. 7. Eſaiæ ſcribens: *Plerique putant, Saulem ſigna accepiſſe de terra, & de profundo inferni, quando Samuelem per incantationes & artes Magicas viſus eſt ſuſcitaſſe.* Miratio vero hic ſubit, cur Coccius hoc teſtimonium allegat, cum non faciat pro Pontificiis. Etenim ut jam taceamus, quod Hieronymus minime in eo exprimat, quid ipſe ſtatuat, ſed dicat ſaltem, quid alii putent, illud manifeſtum, quod non de vero Samuele loquatur. Diſerte enim dicit, quod *viſus ſaltem fuerit Samuel ſuſcitatus*, non quod revera fuerit ſuſcitatus ſive productus. Et inſuper illi ipſi, de quibus Hieronymo ſermo eſt, non à Deo, quod Pontificii volunt, ſed à pythoniſſa per incantationes & artes magicas excitatum fictum illum Samuelem putarunt. Succedat vero & Ambroſius, cujus teſtimonio itidem Coccius ac Sanctius in 1. Reg. 28. n. 14. Pontificiorum errorem confirmare gaudent. Sed fruſtra. id quod patebit, ubi modo ipſiſſima ejus verba ad C. 1. Lucæ, ceu à Coccio referuntur, produxerimus. Ita vero S. Ambroſius d. l. *Heliſæus mortuus defunctum cadaver hominis tactu ſui corporis ſuſcitavit, & Samuel poſt mortem ſecundum ſcripturæ teſtimonium futura non tacuit.* Reſpicit vero Ambroſius (quod & ipſe Coccius non diſſimulavit) ad C. 46. Eccleſ. ſive Siracidis. Cum vero liber ille Siracidis apocryphus liber ſit, ut alibi prolixius à noſtratibus oſtenſum, multisque tum veterum Conciliorum, Patrum, quin ipſorum Pontificiorum teſtimoniis confirmatum, (vid. B.D. Gerhardus lib. 2. Spec. Confeſſ. Cathol. part. 1. art. 1. c. 1. Theſi ſeptima. Dn. D. Calovius Crit. ſacræ tract. 2. diſſ. 2. m. 2. p. 235. ſeqq. B. D.

Hutterus LL. Major. p. 15. seqq. B. D. Calixtus in Diss de Numero libb. Canon. V. T. B. D. Thummius in Disquis. de V. D. p. 202. 203. alii) patet, quod fundamentum, quo Ambrosius nititur, admodum ruinosum sit. Neque enim ex 1. Sam. 28. id quod ex Siracide protulit, confirmare ausus est, probe perspiciens, quod ibi lusus saltem diaboli fuerit. Excntiendum quoque Quinti Septimii Florentis Tertulliani testimonium est, utpote quo itidem hic nititur Jod. Coccius in Thes. Cath. p. 525. scribit vero ille lib. 3. Carm. contra Marcionem C. 5. de Samuele, *quod ita mirificus fuerit, ut post requiem quoque prophetica jura tenuerit.* Quibus verbis omni dubio procul respicit ad C. 46. Siracidis, libri Apocryphi, adeoque ruinoso nititur sententia illa fundamento. Quod forte ipse vidit Tertullianus. Vnde quod d. l. licentiâ Poëticâ de Samuele dixerat, lib. de anima Cap. 57. deserit, diserte scribens: *Corpora videbantur Pharaoni & Ægyptiis magicarum virgarum Dracones: sed Mosis veritas mendacium devoravit. Multa utique & adversus Apostolos Simon dedit &c. Ecce hodie ejusdem Simonis hæreticos tanta præsumtio artis extollit, ut etiam Prophetarum animas ab inferis movere se spondeant. Et credo, quia mendacio possunt. Nec enim pythonico tunc Spiritui minus licuit animam Samuelis effingere (N.B.) post Deum mortuos consulente Saule. Absit alioquin, ut animam cujuslibet sancti, nedum Prophetæ à Dæmonio credamus extractam, edocti, quod ipse Satanas transfiguretur in Angelum lucis, nedum in hominem lucis &c.* Estque testimonium hoc adeo clarum, ut ipse quoque Coccius dissimulare non possit, *Tertullianum hic sentire, animam Samuelis non vere sed saltem dæmoniacum spectrum Sauli apparuisse.* Eludere quidem testimonium hoc ipse satagit, monendo, *quod Tertullianus opinionem*

suam

ſuam retractarit. Vnde vero Coccius id probat? quia inquit, l 3. Carm. contra Marc. C. 5. contrarium adſerit. Reſpondemus: imo vero quod l. 3. Carm. licentiâ poëtica obiter ſcripſit, ſeductus libro Siracidis aprcrypho, hic ex profeſſo refutavit, ac retractavit. Ab hoc igitur teſte deſertus Coccius recipit ſe ad Procopium Gazeum, illumque vixiſſe monet Anno 530. (demens nempe annos 30. quo antiquior appareat: nam Bellarmin. inde ſcript. Eccleſ. p. 167. A. 560 floruiſſe illum memorat.) Verum utut non refragemur, Gazeum ſcribere, ſed obiter ſaltem, idque loco à Coccio allegato, vid. Comment. in Eſa. c. 7. *Samuelem in Saulis probrum ab inferis fuiſſe revocatum.* Obſervandum tamen, quod non magna Sophiſtæ hujus in Eccleſia fuerit auctoritas. Licet enim Photius in Bibliotheca ſua ejus mentionem faciat: prætereunt tamen illum Hieronymus ac Gennadius, qui de ſcriptoribus Eccleſ. alias è veteribus ſatis diligenter ſcripſerunt. Adde, quod nondum probatum, Gazei hujus eſſe genuinum fœtum Comm. in Eſa. qui Pariſiis non ita pridem prodierunt. Fatetur inſuper Card. Bellarminus lib. I. de Chriſto C. 6 *quod melior fuerit Rhetor, quam Theologus*, & inde Script. Eccleſ. de eod. ſcribit, *quod Comment. in Octateuchum magis ex aliorum libris, quam ex proprio ingenio ſcripſerit.* Idem forte & de comment. ejus in Eſ. dici poteſt, ſi tamen illius, & non potius recentioris alicujus Græculi, nimis creduli, ſunt.

II. Cumprimis a. favere, quod non diffitemur, Coccio videtur teſtimonium, breve tamen admodum & quaſi obiter prolatum, Zenonis Veronenſis, quem, quo majus videlicet ejusd. applauſus pondus habeat, floruiſſe monet anno 260. Aſt enim recognoſcat Coccius & Bellarmin.

lib de ſcript. Eccleſ. p. 65. quod *Zenonis hujus* (cur ſermo de Reſurr. è quo teſtimonium depromtum eſt, adſcribitur) *nulla fiat mentio apud Euſebium in hiſt. neque apud Hieronymum lib. de ſcript. Eccleſ. primusque eſt Gregorius M.* (qui demum ſexto vixit ſeculo) *qui ſanctum Zenonem Epiſcopum Veronæ martyrem nominat, ſed de operibus ejus mentionem nullam facit*, ut habet Bell. d.l. qui ſat caute quoque ſcribit: *Extant ſub nomine* (N.B.) *ejus ſermones editi Veronæ &c.* quibus verbis haut obſcure Bell. prodit, quod ipſe ambigat, an ſermones illi genuinus Zenonis fœtus ſint. Cumprimis v. Bellarminum d. l. *male habet, quod de his ſermonibus, Zenoni adſcriptis, ac primum centum abhinc & quod excedit non nihil annis inventis, nulla extet apud veteres mentio.* Sed non tacendum Juliani Toletani l. 2. Progn. c. 30. teſtimonium, quod itidem nobis opponit Cocc. l. c. Nil vero continet illud aliud, quam verba Auguſtini è lib. de cura pro mort. agenda c. 15. ad quæ jam tum ſupra reſponſum fuit. Cum igitur Julianus ille, ne verbulum quidem amplius de ſuo addat, haut opus peculiari hic reſponſo eſt.

12. Cæterum in acie, & quidem merito à Coccio collocatur juſtinus, philoſophus ac Martyr antiquiſſimus, (vixit enim anno 160.) diſerte in Dialogo cum Tryphone ſcribens, *quod Saulis animam ventriloqua pythoniſſa, ita ut Saul petierat, evocarit.* Verum, quod hac in parte cum Pontificiis ſentit, hoc in aliis circa ipſam hanc hiſtoriam, ab illis diſſentit, imo ſententiæ illorum contradicit: nam affirmat, non tantum *Samuelis animam vi artis magicæ fuiſſe excitatam; ſed & animas piorum ante adventum Chriſti aliquo modo ſub poteſtate Diaboli fuiſſe, ut Diaboli eas reducere potuerint, quando voluerint.* Quorum neutrum

Bel-

Bellarminus largietur, ut qui Samuelem, non vi artis magicæ excitatum, ſed à Deo incantationes præveniendi miſſum vult, una hoc ſentientibus Martino del Rio l. c. p. 277. Quare Pontificii ſententiam ſuam dicto hoc Juſtini minime corroborare poſſunt. Si enim illud, quod apparuit, vi artis magicæ excitatum cum Juſtino dicere velint, ſibi ipſis contradicunt. Si vero à Deo Samuelem miſſum volunt, & non vi artis magicæ excitatum, nil ex Juſtino probare poſſunt, ut qui à ventriloqua pythoniſſa, adeoque vi artis magicæ, Samuelem evocatum contra Pontificios ſtatuit. Poſſet forte quis etiam hic monere, quod Juſtinus, ceu ex Qq. & Reſp. ejusd. ad Orthod. q. 52. videre licet, aliam videatur etiam habuiſſe opinionem, diſerte ibi ſcribens: τὰ δὲ πάντα ὑπὸ τῆς ἐγγαστριμύθου γεγονότα κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ δαίμονος, τοῦ τὰς ὄψεις φαντάσαντος τῶν ὁρώντων τὸν οὐκ ὄντα Σαμουήλ, &c. *Omnia quæ à ventriloqua facta, ſunt opera Dæmonis, quæ ſic perſtrinxit ſpectantium oculos, ut ſibi viderentur Samuelem videre, qui non erat. Verborum quidem veritas à Deo profecta eſt, qui Dæmoni dedit in figura Samuelis apparere ventriloquæ, & rem futuram demonſtrare.* Quia vero ab ipſis noſtratibus, (vid. B. D. Chemn. part. 4. Exam. Concilii Trident. p. 10. B. D. Gerhardus L. de Morte §. 174 nec non in Patrolog. p. 86. alii,) dubitatur, num Juſtinus autor harum qq. & reſp. ſit, non magnopere teſtimonium hoc Juſtini urgere cupimus. Quippe cum ad alterum locum, quem ex Juſtino Pontificii pro ſtabiliendo ſuo errore afferunt, puta ex dialogo cum Tryphone Judæo, reſponderi poſſit, juſtinum in illo ipſo non ſuam propoſuiſſe ſententiam (id quod facit in Qq. & Reſp. ad V. & N. T. quippe ex profeſſo ibi de apparitione hac

differens, si tamen Qq. ille ac Resp. Justini sunt, quod aliis discutiendum relinquimus) sed saltem κατ' ἄνθρωπον & ex concessis disputans: notum enim est, & ex supra §. 7. & 8. allatis testimoniis etiam patet, quod Judæi statuant, veram Samuelis animam, idque vi artis magicæ seu Diabolicæ fuisse evocatam. Quid vero hoc Pontificios juvat, quippe negantes, diabolica id factum arte fuisse. Judæos alias sequitur etiam Nicolaus de Lyra (ad quem ibidem Coccius d.l. provocat.) nec id mirum, ex Judæo quippe factus Christianus. Vnde etiam ad Doctores ipse Ebræos hic provocat, nec non ad librum Siracidis apocryphum. Neq; tamen adeo certus fuit Lyranus de hac ipsa sententia, quod verus fuerit Samuel, quin subinde hic uteretur τῷ *videtur*. Eadem molestia in Alphonso deprehenditur Tostato Abulensi, qui sicuti vir fuit doctissimus, acerrimique judicii, ita non ausus fuit, illis qui contrariam defendunt sententiam, dicam scribere, sed ita sermonem suum informat: *Salvo meliori judicio aliorum dicendum videtur, quod iste, qui surrexit, fuit Samuel &c.* Vnicum post Joannis de Capistrano (quem Pontificiorum errori adsurgere, quippe ipsummet Pontificium, nec adeo vetustum scriptorem, vixit emin anno 1440. libenter largimur) supereſt Petri Galatini Minoritæ testimonium, è lib. 6. de Arcanis Cathol. veritatis cap. 8. depromtum. Sed sciendum, quod ipse ille Galatinus, diserte ita scribat, *Cacodæmonem Deo permittente Samuelem ad Saulem adduxisse sive traxisse.* Licet igitur Galatinus concedat, verum apparuisse Samuelem, & eatenus Pontificiis adstipuletur: manifestum tamen est, quod rursus ab illis divortium faciat, quando à Dæmone Samuelem adductum seu attractum statuit, id quod Pontificii negant.

13. Prius

13. Prius vero, quam ad alterius sententiæ expositionem nos accingamus, in genere circa Jodoci Coccii probationem notamus 1. quod ipse, quo testium numerum augeat, inepto *Patrum Latinorum* catalogo adscribat *Nicolaum Lyranum, Alphonsum Tostatum, Joannem Capistranum ac Petrum Galatinum*, cum recentiores hi scriptores sint, nec quod sciamus, ab ullo alias Patribus annumerati. 2. quod plerosque deceperit liber Siracidis, quem licet non ignorarint, librum apocryphum esse, quippe nec ab Ecclesia Judaica, nec Christiana veteri in numerum librorum Canonicorum relatum: quia tamen idem ille liber in Ecclesia veteri ad morum ædificationem lectus, persuaserunt sibi, se temeritatis notam apud homines plebejos sibi attracturos, si ab illo recederent. Quod vero liber Siracidis pro Canonico libro non sit habendus, statuunt præter alios Melito Sardensis, Gregorius Nazianzenus, Amphilochius, ut qui Catalogum sacrarum scripturarum texentes, libri Ecclesiastici seu Siracidis nullam mentionem faciunt, ipso Coccio alibi, puta t. 1. Thesauri Cath. lib. 6. art. 17. p. 680. annotante. 3. quod Patres uno forte loco statuentes, verum Samuelem apparuisse, alibi id negent, quippi dubii, quid statuere debeant. 4. quod fere plerique, qui verum Samuelem apparuisse largiuntur, arte diabolica Samuelem evocatum doceant, (id quod tamen Pontificiis haud arridet) ceu hactenus ostensum.

14. Progressum jam facimus ad alteram sententiam, qua adseritur, *non apparuisse veram Samuelis animam, sed spectrum ac phantasma Diabolicum, ut artis magicæ à pythonissa in gratiam regis Saulis excitatum.* Hanc juxta cum orthodoxis amplectuntur multi Patres, quidam judæi, imo ipsi Pontificii nonnulli, aliiq; viri docti. Ex nostratibus B.D.

Gerh.

Gerh. loc. de mort. §. 174. Statim ab initio ita suam de hoc Samuele prodit sententiam. *Cum illa Samuelis apparitione non tantum limbum, sed etiam purgatorium, apparitiones spirituum, suffragia pro mortuis, & alia figmenta Pontificii probent, ideo accurate notanda sunt argumenta quibus demonstramus, spectrum aliquod Diabolicum, non autem Samuelis animam apparuisse.* B.D. Balduinus Cas. consc. l. 3. c. 7. p. m. 609. *Non postremus Diaboli conatus est, ludificandi, terrendi, contristandi & affligendi homines per spectra & terriculamenta, quæ hominum sensus, vel per imagines, vel per sonos externos occupant. Multa hujus rei exempla tam in sacra, quam in profana historia continentur. In sacris legimus de Pseudo-Samuele, à pythonissa ad preces Saulis ex inferis producto, 1. Sam. 28. 11. quem quidem Pontificii pro vero Samuele habuerunt. Sed multa sunt indicia in textu, quod spectrum Diabolicum fuerit.* B. D. Franzius de Interpr. Script. S. Orac. 107. p.m. 661. *Ecce lector optime, à Jehova in cujus manu & sinu requiescebat Samuel, convertit se Saul ad pythonissam, h.e. ad Satanam, Lev. 20. 27. Simile est 2. Reg. 1, 2. Ahasia ægrotans misit nuntios ad Baalzebub Deum Ecron. v. 3. Et Angelus Jehovæ locutus est ad Eliam. Surge, loquere ad eos: Nonne, quia non est Deus in Israele, proficiscimini ad Baal-Zebub. Sicut ergo hic opponuntur Deus & Satanas, ita in ista Samuelis historia, Satanæ Deum opponi, necesse est. Quicquid igitur postea fit, hoc fit per Satanam. Satanas repræsentat formam, seu imaginem Samuelis demortui, & ex hac forma ipsi vaticinatus, utpote qui acceperat potestatem in Saulem impium, sicut Diabolus tandem ingreditur in Judam, &c.* Qui vero omnium primus adduci debebat, B. Lutherus in gloss. marg. ad cap. 28. lib 1. Samuelis diserte scribit: *Hoc (nempe quod Samuel*

muel mortuus sit.) Scriptura propterea memorat, ut quemlibet moneat, quo subsequens spectrum de Samuele recte intelligat, sciatque, Samuelem defunctum esse, idque malum spiritum cum Pythonissa & Saule locutum fuisse egisseque in Samuelis persona ac nomine. Conf. etiam Dn. D. Danhawerus Hodos. phænom. 4. p. 276. B.D.Chemnit. part.3.Exam. C.T. p. 205. D. Grawerus Prælect. in A. C. ad art. 3. p. 492. D. Waltherus Harm. Bibl. p. 326. D. König C. C. Append. Dnn. Theologi Saxonici in defens. Pupill. p. 341. D. Fewrbornius Fascic. 6. n. 109. D. Gerlachius Dispp. Theolog. t.2. p. 4043. D. Calovius in A.C. t.2. p. 415. D. Eckardus Pandect. Theol. p. 603. seqq. D. Botsaccus Contradict. Pontif. part. 2. p. 203. seqq. D. Dietericus in l. Sapient. 2. f. 1015. D. Heilbrunnerus Papat. Acath. p. 123. D. Himmelius de Relig. Invoc. p. 751. D. Backii postill. Germ. part. post. p. 746. edit. pr. D. Hunnius t.2. Oper. Lat. in fol. p. 99. D. Meisnerus Opusc. 2. de fictitio Papist. purg. c. 8. p. 22. seqq. D. Tarnovius in Amos p. 123. Dn. Dilherr. Disp. 7. Acad. t.2. Dnn. Theol. Marpurg. t. 1. Disp. p. 518. 519. 538. alii.

15. Eademq; hæc sententia jam olim patrum quoq; fuit antiquissimorum, è quorum numero primus prodeat Patrum Latinorum facile antiquissimus Tertullianus. Hic libr. de anima c. 57. diserte affirmat, quod pythonicus spiritus animam Samuelis effinxerit, post Deum mortuos consulente Saule; ceu ex verbis ejus §. 9. adductis videre est, nec inficias ire Jodocus Coccius l.c. Del Rio l. c. q. 6. p. 113. Lapide in 1. Reg. 28. v. 11. aliique possunt. Tertulliano adjungimus Justinum atque Augustinum, quorum consensum nobis itidem largiuntur Jodocus Coccius l.c. Jesuita Sanctius in 1. Reg. 28. n. 13. Martinus Del Rio lib. 2. Disp. Mag. q. 6. p. 113. unde non opus est, ut denuo illo-

rum verba, quæ etiam jam tum supra §. 9. adducta, repetamus. Excipit modo Coccius, quod illi ipsi auctores sententiam suam retractarint. Sed effugio huic jam tum suprà itum obviam est. Neque tamen Tertullianus saltem, ceu Coccius lectori persuadere satagit, Justinus Qq. ad V. ac T.N.q. 52. atque Augustinus l.2. ad Simplic. q.3. (possemus quoque huic loco adjicere alia ejusd. Augustini, videl. è Qq. V.T. q.27. it.lib 2. de mirabil. Scripturæ, nisi sciremus, de scriptis illis haut præterire ab eruditis dubitari, an sint Augustini. Quia tamen inter opera Augustini reperiuntur, & antiqui scriptoris sunt, operæ forte lector curiosus pretium faciet, si alleg. loca evoluerit) idem tamen, quod dictus Pater lib. 2. ad Simplic. q.3. adserit, nempe non fuisse verum Samuelem, repetit etiam lib. de 8. Dulcitii qvæst. q.6. nec non l. 2. de Doct. Christiana c. 23. qui libri extra controversiam Augustini sunt. Quemadmodum etiam hoc ipsum testimonium Augustini è l. 2. de D. C. c. 13. adducit Jesuita Lorinus Comm. ad Actor. 16. v. 18. nil quicquam de veritate dubitans) è veteribus nobis applaudunt: sed idem quoque quod nos, ex antiquis Ecclesiæ Doctoribus adseruit S. Hieronymus, lib. 1. Comment. in Matth. c. 6. in fine diserte scribens: *in Samuelis phantasmate pythonissa loquitur ad Saulem, cras mecum eris.* Idem t.4. Comment. super Ezech. 13. ad verba: *Et tu fili hominis &c.* ita inter alia commentatur. *Quomodo adversus prophetas alii pseudoprophetæ inspirabantur diabolico spiritu, ut Dei mandata subverterent: ita adversus Prophetissas, qualis fuit Debora & Holda &c. aliæ ejusdem sexus: quarum fuit Prisca & Maximilla, quæ vaticinatione mendacii fidem subverterunt veritatis. Has autem sicut Hebræi maleficis artibus eruditas, per necromantias & pythicum spiritum: qualis fuit illa, quæ*

visa

visa est suscitasse animam Samuelis. Conf. idem ad c. 7. Esaiæ in verba illa: *adjecit Dominus loqui ad Achaz.* quæ Hieronymi testimonia subdole dissimulat Coccius, deprehendens, se nulla veritatis specie hîc reponere posse, quod Hieronymus sententiam illam suam alibi retractarit. Ingenue vero id ipsum, quod sc. Hieronymus nobiscum faciat, fatentur Alphonsus Mendoza, Eremita Augustinianus, Theol. D. & in Acad. Salmanticensi Scoti cathedræ præfectus Controv. Theol. q. 5. p. 415. it. Sanctius Comm. in 1. Reg. 28. n. 13. A nostris etiam stare partibus Cyrillum lib. de ador. in spir. item Anastasium in script. Del Rio l. c. q. 6. p. 113. fatetur. Noster quoque est *Rupertus, Abbas Tuitiensis*, de quo Jesuita Tirinus in judice Auctorum scribit, *quod incomparabili scientia collegerit ex patrum scriptis succincta commentaria in omnes S. Scripturas.* vixit A. D. 1116. Hunc vero nostrum esse, & quidem tum l. 2. de Trinit. & Operibus ejus, tum super I. lib. Reg. c. 17. largiuntur Sanctius ac Alph. Mendoza ll. cc. quamvis pariter dissimulet Coccius.

16. Facit quoque nobiscum *Strabus Fuldensis*, autor glossæ ordinariæ, quam ex Rabani operibus desumsisse creditur, qui floruit A.C. 840. Etenim cum monuisset, *non esse absurdum, credere, aliqua dispensatione permissum fuisse, ut non dominante magica potentia, sed dispensatione occulta, quæ Pythonissam & Saulem latuerit, se ostenderet spiritus adspectibus Regis, divinâ eum sententiâ percussurus*, subjicit: *vel non vere Spiritus Samuelis à requie sua excitatus est: sed aliquod phantasma & illusio imaginaria diaboli machinationibus facta: quam Propheta Samuelem appellat. sic solent imagines rerum suarum nominibus appellari &c. sic dum videt somnium, non dicit, imaginem vidi Augustini, sed vidi Augustinum. &c.* Tandem etiam *Pro-*

 copius,

copius, Eucherius ac Beda Venerabilis, quorum hic seculo floruit octavo, ille seculo quinto, iste seculo sexto Comm. in 1. Reg. 28. pariter docuerunt, non fuisse verum Samuelem sed Samuelem phantasticum ac larvam illusionemque Diaboli, puta Dæmonem in specie & forma Samuelis, qui Sauli apparuerit. Horum licet adsensum Jodocus Coccius pariter dissimulet, haud inviti tamen largiuntur Corn. à Lapide Comm. in Eccles. Cap. 48. p. 458. ac Del Rio l. c. p. 113. qui insuper illis addit *Hildegardum & Salisburiensem it. Thomam de Aquino.*

17. Facit quoq; aliquo modo huc sententia Origenis, in hist. de Bileamo docentis, *bonos spiritus non obtemperare carminibus magicis* item quod Chrysostomus homil. 29. in Matth. habet, dum ita: *pernitiosam opinionem hominibus ingerere diaboli conantur, quod hominum, qui obierunt, animæ dæmones fiant, &c. Vnde vero mihi persvadebis, quod immolatorum ab incantatoribus animæ ipsis cooperentur? an, quia ipsos dæmoniacos clamare nonnunquam audisti; anima talis ego sum? Verum hæc quoque oratio à fraude atque deceptione diabolica est. Non enim anima defuncti est, quæ ista dicit, sed dæmon, qui hæc, ut audientes decipiat, fingit, &c. Quare vetularum hæc verba, imo desipientium ducenda sunt, & puerorum ludibria.* Οὐδὲ γὰρ ἔνι ψυχὴν ἀποφαγεῖσαν τοῦ σώματος ἐν τοῖς τόποις πλανᾶσθαι λοιπόν. Ψυχαὶ γὰρ δικαίων ἐν χειρὶ θεοῦ, *&c. Fieri non potest, ut anima à corpore separata in his regionibus erret. Justorum enim animæ sunt in manu Dei.* Idem homil. 2. de Lazaro: *Si Diabolus nihil potest in vivos, quomodo potest aliquid in spiritus mortuorum,* sc. justorum? Imo Jesuita Joannes Maldonatus Comm. ad Luc. c. 17, 28. p. 300. diserte scribit,

quod

quod Chryſoſtomus ſerm. ult. de Lazaro, aliisque nonnullis locis, Tertullianus in libro de anima (& de hoc tamen Jodocus Coccius perſuadere lectori ſatagit, quod ſtatuerit, verum Samuelem Sauli apparuiſſe) *& Athanaſius, aut quisquis auctor eſt qq. ad Antiochum, q. 11. & 13. Iſidorus l. 8. Etymol. c. 9. & Theophylactus in 8. cap. Matth. prorſus negent, animas mortuorum aliquando viventibus apparere.*

18. Non fugit quidem nos, quod hic repoſituri ſint Pontificii, ſe non ſtatuere, quod diabolus, ſed quod ipſe Deus animam Samuelis evocarit; Chryſoſtomum vero negare ſaltem, quod à Diabolo animæ revocari queant: ita Chryſoſtomum intelligi vult Jeſuita Conzen Comm. ad c. 8. Matth. p. 166. Verum quid ad hoc reſpondendum ſit, poſtea videbimus. Sane Maldonatus l. c. abſolute de Pp. allegatis adſerit, *quod animarum apparitionem prorſus negent.* Illud ſolum hic monemus, quod Corn. à Lapide, Comm. in Eccleſ. 48. Sanctius l. c. n. 15. cum negare haud poſſint, multos veterum non niſi phantaſma ac ſpectrum diabolicum hic agnoſcere, præcipuam illius rei cauſam eſſe ſcribant, *quod illis ipſis non ſatis cognita fuerit fides & auctoritas libri Eccleſiaſtici.* Si enim æque tum fuiſſet definita, ſicuti hodie per Concil. Tridentinum, putant, *aliter Patres illos fuiſſe locutos.* Reſpondemus: imo vero, qui jam tum nimium forte libro Siracidis nonnulli tribuerunt, idque propterea, quod in Eccleſia ad morum ædificationem legi illum viderent, ortus inde error fuit, quod verus fuerit Samuel, qui Sauli apparuit, cum Eccleſiaſticus id ſtatuere videatur. Quod vero liber ille minime Canonicus, ſed apocryphus liber ſit, adeoque cum Vetus Eccleſia, tum Chriſtiana, tum Judaica pro libro Canonico illum non habuerit, nec à Pontificia Eccleſia talis obtrudi

debeat, alibi prolixius à noſtratibus, ſupra §. 19. adductis, oſtenſum, ad quos lectorem remiſſum volumus.

19. Cæterum eandem ſententiam de ſpectro Diabolico amplectuntur quidam inter ipſos quoque Judæos & Pontificios. R. David Kimchi, unus inter præcipuos Judæorum Rabbinos, ſine dubio abſurditatem fabularum figmentorumque Judaicorum deprehendens, ſententiam ſuam, quo ante Spectrum illud pro vero Samuele habebat, mutauit, qua de cauſa vehementer in eum invehitur Martinus Del Rio l.c. eumque ut novatorem omnibus aliis Judæis poſtponendum judicat. Quid ſi vero inter ipſos etiam Pontificios reperiri oſtenderimus, qui communem & erroneam Pontificiorum ſententiam deſerentes, noſtram defendunt. Thomas certe de Aquino, cujus tanta alioqui apud Pontificios autoritas eſt, ut in illius verba jurare Jeſuitæ cogantur, ceu ex Gravina in Curru Triumphali videre eſt. part. 1. q 89. art. 8. non abhorret ab illa ſententia, *quod non vere ſpiritus Samuelis à requie ſua excitatus ſit, ſed aliquod phantaſma ac illuſio imaginaria, Diaboli machinationibus facta, quam Scriptura appellet Samuelem, cum ſoleat imagines rerum ſuarum nominibus appellare.* Atque Thomam modo adductum nobiscum facere, nec ipſe Martinus Del Rio negare audet, quando una cauſam annotat, ob quam Thomas aliam, quam cæteri Pontificii, ſententiam defendat; nempe quod *dubitarit de authoritate Canonica libri Siracidis, quem tamen Pontificii omnes* (at Jeſuita Pererius lib. 1. de Magia Cap. 11. p. 59. non diffitetur, quosdam ex Pontificiis de libri hujus authoritate Canonica dubitare.) *pro Canonico recipiant.* Lelogerium valde exagitat idem Martinus Del Rio l. c. p. 177. quod ſententiam

Ponti-

Pontificiis communem, ipse Pontificius, multis argumentis enervare conetur. *Nec sunt magni,* inquit, *momenti, quæ nobis oppenit Lelogerius libr. 4. de Spectris c. 1. verbosius, quam nervosius.* At notandum etiam atque etiam est, quod in ipsis Pontificiis decretis causa 26. cap. nec mirum q. 5. sententiæ illi vel errori potius Pontificiorum in faciem quasi contradicatur. *Nec mirum,* (legitur d. l.) *non Samuelem sed cacodæmonem fuisse. Indignum omnino facinus esset, si secundum verba historiæ commodetur assensus. Quomodo enim poterat fieri, ut arte magica attraheretur vir à nativitate sanctus, & operibus vitæ justus: ac si non attractus est, consensit: quod utrumque de justo credere adversum est. Præstigium hoc Satanæ est, quo, ut plurimos fallat, etiam bonos se habere in potestate, confingit &c.* Nicolaus de Lyra, & ipse è Judæo pontificius non ignobilis, in commentariis in libros regum in h. l. contrariam sententiam, Judæorum sequutus magistros, defendens, annotat, *hanc non quidem esse determinatam Ecclesiæ sententiam, etsi juri Pontificio inserta sit, sed decretum illud ponere utramque partem probabilem. Dicendum igitur,* (inquit) *quod si decretum allegatum habeatur pro determinatione Ecclesiæ: tenenda est ista pars determinate. Si autem non est determinatio Ecclesiæ, ut probabiliter videtur, tum quia Augustinus, cujus est illud decretum, utrumque modum dicendi ponit ut probabilem & rationabilem in Epist. ad Simpl. tum quia post compilationem, decretorum expositores Sacræ Scripturæ prædictos modos recitaverunt, & scripserunt tanquam probabiles & rationabiles, quod non fecissent, si unus dicendi modus ab Ecclesia esset determinatus. Nisi forsitan ex ignorantia hujus determinationis, quod non videtur eis imputandum. Et ideo*

si il-

si illud decretum non sit determinatio Ecclesiæ, videtur probabilior modus dicendi, quod anima Samuelis virtute divina, & ejus dispensatione apparuerit &c. Hæc ille. Quod vero non tantum tanquam probabiles, & rationabiles has addiderint rationes, ex ipsis verbis satis clarum evadit. Nobis sufficit, quod palam sit, ipsam partem adversam, de propria non satis sibi constare sententia, cum unus hanc, alter aliam sententiam defendat. Ita sententiæ nostræ adstipulari Franciscum Vatablum, regium Hebraicæ linguæ Professorem Lutetiæ (de quo etiam Jesuitæ Possevinus, Gretserus, Corn. à Lapide ac Tirinus scribunt, *quod fuerit vir probatæ semper fidei & doctrinæ)* in 1. Reg. 28. Corn. Jansenium, Grandavensem Episcopum, (quo de Vernulæus in descript. Acad. Lovanienſis pag. 277. canit: Quantus Sol cœlo, tantus Jansenius orbi est,) super Eccles. c. 46. it. Matthiam Felisium in Elucidat. primi præcepti, agnoscit Mendoza loco allegato: sed caute dissimulat Jodocus Coccius in Thesauro. Agnoscit tamen etiam Cornelius à Lapide in Eccles. 46. quod Jansenius noster hic sit. Nostram sententiam approbant quoque ex Pontificiis Hannibal Rosselus Calaber, Ordinis FF. Minorum Observ. Theologiæ & Philos. Cracoviæ Professor in Comm. ad Pymand. Mercurii Trismegisti t. 2. p. 327. Reyneccius tomo 1. Pantheol. p. 174. Carol. Stengel. lib. de Monstr. c. 14. p. 509. Augustin. Steuchus de perenni philos. l. 8. c. 37. Joh. de Turre cremata in gl. ad c. 26. q. 5. c. 14. Non mirum. ac Joan. Lopez, Episcopus Monopolitanus, Epit. SS. Patrum. l. 16. c. 4. p. 855. quorum verba adscribere, studio supersedemus. Illud saltem prudenti lectori cogitandum relinquimus, annon forte & ipse Jesuita acerrimus, Joannes Maldonatus apparitionem hanc suspectam habeat.

habeat. Etenim quando in Comm. ad Luc. 18, 28. contra Chryſoſtomum, Tertullianum, Athanaſium, Iſodorum, aliosque evincere conatur, animas mortuorum aliquando viventibus apparere, nonniſi apparitionis Moſis atque Eliæ Matth. 17. facit mentionem, hanc vero Samuelis apparitionem penitus ſilentio involvit, quod forte haud feciſſet, ſi pro vero Samuele Spectrum Diabolicum habuiſſet.

20. Ne tamen aluici veniat in mentem illud poëtæ:

Inter utrumque volat variis victoria pennis,

omittentes ulteriorem variarum ſententiarum enumerationem, ipſas cujuslibet partis rationes aggrediemur. Quarum *Primam*, defenſuri non veram Samuelis animam, ſed ſpectrum aliquod diabolicum apparuiſſe, deſumimus *à denegatione reſponſionis*. De hac v. 5. & 6. ſic ſcribitur: *Videnſque Saul caſtra Philiſtæorum, timuit, trepidavitque animus ejus valde. Et conſuluit Saul Jehovam, ſed non reſpondebat ei Jehova, nec per ſomnia, nec per Vrim, nec per prophetas.* Juſtiſſimam ergo hic in Saule videmus vindictam divinam, qui enim ante inobediens ori domini, Deum audire noluerat, jam ipſe etiam à Deo non exauditur. Scilicet experiebatur jam Saul id, quod ſapientia divina è cœlo clamans, omnibus vocationi & invitationi ejus non obtemperantibus minatur Prov. 1. 14. ſeq. hiſce verbis: *Quandoquidem invito, & renuitis, extendo manum meam, & nemo advertit. Sed abſtrahitis vos ab omni conſilio meo, & correctioni meæ non acquieſcitis. Ego quoque in calamitate veſtra ridebo, ſubſannabo, qvum advenerit id quod expaveſcitis, cum adveniet tanquam fremebunda vaſtatio id quod expaveſcitis, & calamitas veſtra tanquam turbo adventaverit: cum irruerit in vos oppreſſio & anguſtia, tunc invocabunt me & non exaudiam; mane quærent me & non*

invenient me. Jam Sauli erat præſens id quod metuebat, jam oppreſſio, imo ſumma aderat anguſtia, extra hoſtes, intus conſcientia mordens; extra nullus exercitus, Philiſtæis, hoſtibus ipſius infenſiſſimis, reſiſtendi ſufficiens, intus metus, timor & tremor. Ergo ad Deum ſe recipere jam volebat, hic vero non reſpondebat. Antea enim Deum contemſerat, non honorarat; jam iterum à Deo contemnitur, non honoratur. Deum non audiverat; exauditionem, nulli alias in angoribus Deum invocanti denegatam ſibi denegari videt. Somnia expectat, at fruſtra. Vrim aggreditur, ſed Deus tacet. Tandem prophetas expectans, fine ſuo ſe fruſtratum deprehendit, quare dum ſuperos jam flectere non poterat, Acheronta movere cogitat; à Deo igitur ad Diabolum, à ſomniis Divinis ad apparitiones Diabolicas, ab Vrim ad nocturnas tenebras ſeſe convertens, ibi in miſeria relaxationem, in anguſtia auxilium, in deſperatione conſilium quærit. At miſerrimum invenit. Non volumus nos hic diu detinere in explicandis modis illis variis, quibus Deus hominibus per ſomnia, Vrim, vel Prophetas reſpondebat. Communes videntur fuiſſe ii, quos in noſtro textu enumerat hiſtoricus. Etenim per hos Deum hominibus reſpondiſſe, & voluntatem ſuam manifeſtaſſe, ſæpiſſime in codice Biblico legimus. Sic per ſomnia Abrahamo, Jacobo, Pharaoni, Nabuchodonoſori, &c. apparuit. Quomodo autem per Vrim Deus voluntatem ſuam manifeſtaverit, de eo, adhuc dum ipſi Judæi incerti, certum modum deſignare non poſſunt. *R. David Kimchi & Maymonides* (citante Epiſcopio Inſt. Theolog. l. 3. p. 27.) *Sola inſpectione lapidum vel literarum ex illis protuberantium, & veluti in aëre ſcriptarum illud fieri volunt.* Quam etiam ſententiam ſuam facere Epiſcopius

ſcopius videtur. Conf. quoque Wilh. Schickardus in de Jure Regio Ebr. c. 1. theor. 2. p. 11. ſeqq. Franciſcus Ribera Villacaſtinenſis lib. 3. de Templo c. 12. p. 219. ſeqq. Nobis ulteriorem inveſtigationem inſtituere non placet, cum nihil certi de eo ſciri poſſit, quoniam ſecundum plurimos in Templo ſecundo illud defuiſſe ſtatuitur. Per *Prophetas*, qui ultimus in noſtro textu modus, quo Deus Sauli reſponſum denegavit, communiſſimus alias erat reſpondendi modus, uti mediocriter in ſacris literis verſato ſatis liquet. At nullo modo Deus ei reſpondere vult, neque per ſomnia, neque per Vrim, neque per Prophetas.

21. Ex hac igitur denegatione divina argumentamur, 1. *Quicunque reſponſa non accepit per Prophetas, ille neque accepit reſponſum per Samuelem. Atque Saul non accepit reſponſa per Prophetas. Ergo neque per Samuelem.* Ratio conſequentiæ in Majori eſt, quia Samuel fuit propheta, quod ſi vero per Samuelem Deus reſpondiſſet, non potuiſſet hiſtoricus dicere, Saulum non accepiſſe reſponſum per Prophetam. Excipiunt pontificii, *locum hunc intelligendum eſſe de prophetis tantum vivis, per quos Saul reſponſa exſpectabat, at Samuel jam omnino erat mortuus. Ergo ad eum hæc extendi minime poſſe.* At reſpondemus, negando, per *prophetas* intelligi ſolos vivos Prophetas, ſed prophetas, quos textus neque ad vivos, neque ad mortuos reſtringit. Et ſane maxime probabile videtur, ſi Deus tam immediate poſtea Sauli reſpondiſſet per Samuelem, qui verus fuit propheta etiam poſt mortem, hiſtoricum non tam abſolute dicturum fuiſſe, Deum non reſpondiſſe Sauli per prophetas. Vtitur hoc argumento B. D. Franzius de Int. Scr. Sacr. p. m.

660. *Audi, lector* (inquit) *si Samuel in vivis fuit propheta, sicuti fuit propheta, tum nomen illud post mortem amittere non potuit, & per consequens, qui hoc loco introducitur loquens cum Saule, quasi Samuel, non est verus Samuel propheta, siquidem Deus dicit, quod cum Saule per prophetas tum non amplius fuerit locutus. At non negabis, quod Samuel etiam post mortem dignus nomine prophetæ, s. videntis, 1. Paral. 29, 29. Ergo verus Samuel non respondit Sauli. Si respondisset verus Samuel, respondisset Sauli Jehova per prophetam Samuelem. At hoc negatur in textu, & expresse dicitur, quod non responderit Jehova Sauli per prophetas.* Hæc ille. II. Alterum argumentum à divina responsionis denegatione formamus tale. *Quicunque alicui per ordinaria media responsa quærenti responsa denegat, ille eidem homini, illegitimo & damnato modo responsa quærenti, extraordinario, & malam speciem præ se ferenti modo non respondebit. Atqui Deus Sauli per ordinaria media responsa quærenti non respondet. Ergo.* Majoris consequentiam esse firmissimam, patet, præcipue de responsis Sauli negatis, tam ex ratione, ob quam Deus Sauli non respondebat, per somnia, Vrim, aut prophetas, quam etiam ex inæqualitate medii, per quod Deus ei antea responsa denegavit, postea vero secundum Pontificios dedisset. Causæ ob quas Deus Sauli non respondebat per somnia, Vrim, aut prophetas, erant immensa ipsius peccata antecedanea. Et præcipue inobedientia, non exsequendo mandatum divinum, de eradicandis Amalekitis. Sicuti etiam propter hoc ipsum peccatum de solio Regni eum deturbavit. Si ergo Deus jam Sauli ob peccata respondere non vult, tum, qvum

adhuc

adhuc per legitima media responsum aliquod exspectat, multo minus respondisse ei credendus est tum, quando peccatis suis antecedaneis adhuc peccata gravissima super addidit, & per illegitima media responsa quæsivit. Præcipue cum Deus semper in Scriptura Sacra homines ad ordinaria media ita adstringat, ut extra illa media alia quærenti semper responsa deneget. Exemplo unico ex sacro codice desumto, ulterius hoc declarari potest. Lucæ 16. legimus, divitem illum Epulonem, inter alia ab Abrahamo petiisse, ut mitteret Lazarum ad domum patris sui, & sic extraordinario medio fratres, ordinariis mediis non utentes, ad meliorem vitam, deducere voluisse. *Quinque* (inquit) *mihi sunt fratres, ut denuntiet illis, ne veniant in hunc locum,* At quid respondet Abraham? *Habent Mosen & prophetas, hosce audiant.* Hic vero regerit: *Non pater Abraham, sed si veniat aliquis ex mortuis ad eos, pœnitentiam agent.* At replicat ille: *Si Mosen & prophetas non audiunt, neque etiam si quis ex mortuis resurrexerit, obedient.* Jam vero si Dives, quem Abraham tamen filium appellat, hoc ab Abrahamo impetrare non potuit, ut Lazarum, quod esset extraordinarium convertendi fratres Epulonis medium, mitteret, illis denuntiandum, quibus jam tormentis torqueretur, ut sic illi sibi cavere possent, ne in eundem locum aliquando detrudantur; minus credibile est, Deum Samuelem, qui jam æque æternæ beatitudinis hæres, & sinus Abrahami incola, ac Lazarus, misisse ad petitum regis impiissimi, & jam ipso actu damnatis mediis utentis. Nimis etiam magna discrepantia est inter media, quibus Deus antea Sauli respondere nolebat, & inter illud medium, per quod postea, secundum Pontificios, respondisset. Illa media erant ordinaria, hoc ex-

traordinarium. Illis tanquam legitimis mediis Saul adhuc uti poterat, hoc vero illegitimo modo jam expetit. Illa à Deo ordinata, & per illa sæpissime ipse respondit responsa flagitanti: per hoc vero medium responsa flagitantibus gravissima minatus supplicia.

22. At multa regerunt hic Pontificii, quibus nervum posterioris argumenti infirmare conantur. Excipiunt (1) *Deum non per ordinaria media, sed per extraordinaria voluisse respondere.* At respondemus, limitando hanc exceptionem. Quicunque per ordinaria media non respondere vult, ille aliquando respondet per extraordinaria, aut legitima. Si enim ad summum aliquod exemplum ex sacro codice ab adversariis adducatur, ubi Deus prius per ordinaria media aliquid efficere non vult, sed postea extraordinario modo illud efficit, nunquam tamen media erunt illegitima ac damnata. At media, quibus Saul usus, maxime fuere illegitima ac damnata, ad quæ Deum extraordinario modo misisse Samuelem & Sauli respondisse, minime probabile. Præcipue quia propter illa peccata, quæ Saul jam patrabat, non privatas personas sed integras gentes à facie terræ ejecturum se esse, ipse Deut. 18, 11. 12. his verbis minatus erat: *Ne invenitor utens incantationibus, requirens pythonem, aut hariolus, aut necromanticus, nam abominationi est Jehovæ, quisquis facit ista, & propter abominationes istas Jehova Deus tuus expellet gentes istas à facie tua.* adde Levit. 20. 27. At Saul jam requirebat pythonissam, mortuosque consulebat, & sic abominationi Jehovæ erat. Idque eo magis, quo majori antea Zelo, sine dubio hoc, aliisque divinæ legis mandatis, eradicationem pythonum, Hariolorum, & id genus hominum continentibus, motus, Pythones, & Hariolos è terra ejecerat.

Qua-

Quapropter etiam hæc pythoniſſa primo intuitu petitis Regis, ipſi adhuc ignoti, ſatisfacere hanc ob cauſam negavit. *Ecce* (ajebat) *tu noſti, quid fecit Saul & excidit Pythones & Hariolos ex hac terra: cur ergo tu ponis in tendiculam vitæ meæ, ad morte afficiendum me.* Neque prius eo permoveri potuit, ut aliquem vi artis magicæ produceret, quam per Jehovam Saul juraret, non obventuram illi aliquam pœnam propter hoc malum, ſive ut Saul loquitur, propter hanc rem. Tantum à ſeipſo Saul mutatus, ut quos prius è terra ejecerat, & ex lege divina ejiciendos ſciebat, eos jam conſulat, graviſſimoque ſe juramento, ſe nulla illos pœna affecturum, obſtringat. Hunc ergo Deum, quem antea vivi prophetæ reſponſo decorare non voluit, jam hæc horribilia & exſecrabilia patrantem, cum ſanctiſſimi alicujus prophetæ, jam dudum demortui inquietatione, reſponſo decoraturum ſtatuere, quid abſurdius? *Si enim* (verba ſunt B.D.Gerhardi loc. de morte §. 174.) *nullius Prrphetæ adhuc viventis alloquio Dominus Saulem dignari voluit, num putabimus, honore longe majore ipſum dignatum fuiſſe, ut ſcilicet propheta Samuel ex mortuis in ipſius gratiam ſuſcitaretur?* Non movet nos ficta diſtinctio Jeſuitæ Gregorii de Valentia cap. 6. de Purgat. p 283. ſcribentis, *tantum hoc in ſcriptura divina prohibitum eſſe, ne magicis artibus ac ariolis & aliis ſeductoribus procurata teſtimonia mortuorum uſurpemus.* Etenim clarum ex Deut. 18, 10. & 11. eſt, utrumque diſtincte prohiberi, videlicet ſuſcitationem tum hariolarum, tum mortuorum.

23. Excipiunt II. *Deum ſe iratum voluiſſe oſtendere Sauli, idq; feciſſe tam non reſpondendo, cum interrogabatur, quam reſpondendo, cum non interrogabatur. Vtrumque e-*

nim

nim est signum iræ. Bellarm. l. 2. de purg. cap. 6. Similiter & Mart. Del Rio l.c. lib. 2. qv. 26. sect. 4. pag. 238. At Respondemus 1. Negando, hoc esse signum iræ, prius nolle respondere non rogatum; & postea tamen respondere non rogatum: tali enim modo adhuc petitionibus Sauli satisfactum fuisset. Nam unicum hoc erat Saulis desiderium, ut responsum aliquod acciperet. Si vero jam Deum non interrogans accipit id, quod antea Deum interrogans accipere non potuit, desiderio ipsius satisfit. Responsio ergo hæc locum pœnæ habere non potest. Quia aliquis nactus id, quo expetit, non pœnam, aut iram illud æstimabit, sed gratiam, quia nactus est id, quod desiderat. Antea, quando Saul Dominum interrogabat, hic vero illi non respondebat, neque per somnia, Vrim, aut prophetas, Saul gravissimæ hoc sibi pœnæ sine dubio ducebat, ut qui per hæc ordinaria media responsum accipere non poterat. Jam igitur si extraordinario modo, ubi ne quidem interrogat, responsum accepisset, non pœnæ hoc sibi ducere potuisset. Quia respondere, & non respondere, sibi invicem oppositа. Si proinde non respondere, antea fuit signum iræ, jam respondere, tale minime esse potest. 2. Nullibi in toto codice sacro hoc pœnæ genus minatur Deus inobedientibus, ubi tamen omnia pœnarum genera in scriptura recensentur. Sed potius minatur Deus, se non responsurum inobedientibus, licet in calamitate invocantibus ipsum: si vero responderet tum, cum non invocant, nemo jam amplius, in calamitate constitutus Deum invocabit, aut interrogabit. Quia, quando non interrogat, responsum accipit, quod sibi interroganti alias denegaretur. 3. Ideoque non quæritur hîc de tempore responsionis, quando nimirum Deus

Sauli

Sauli respon'erit: sed de ipsa respondendi voluntate, num nimirum Deus Sauli respondere voluerit. Quod posterius, quia in textu negatur, nemo facile contra claram textus literam evincet, Deum postea voluisse respondere Sauli, jam majora peccata patranti, quam ea, propter quæ antea Deus responsionem denegaverat. 4. Responsum, quod Samuel hic fictitius dedit, non fuisse à Domino, ex ipsa Samuelis illius confessione patet. v. 16. enim dicit: *Quid vis me interrogare, cum Dominus â te recesserit?* Quasi dicere vellet; Non opus, ut me interroges, cum Dominus ipse à te recesserit, & antea respondere noluerit. Nam non putabis, me aliquod responsum tibi allaturum à Domino, cum Dominus antea hoc tibi denegaverit. Quare ergo vis interrogare? Ideoque etiam immediate subjungit: *Dominus faciet tibi, sicuti locutus est per me.* Dicit in præterito locutus est: si vero responsum aliquod à Domino habuisset, tum temporis, nomine Domini Sauli deferendum, non in præterito, sed præsenti locutus fuisset, & non: *quid vis me interrogare, quia Dominus recessit à te.* Nam eo ipso, dum dicit, *Dominum recessisse à Saule,* innuitur, æque minus ac antea eum aliquod responsum accepturum.

24. Excipiunt III. *Deum propterea non respondisse Sauli, ne bellum evitaret, si enim,* inquiunt, *Deus respondisset, potuisset Saul declinare bellum, & pœnam sibi à Deo paratam, at cum interrogavit pythonissam, erant jam omnia parata, & acies instructæ, & in conspectu positæ, ut nullo modo prælium detrectare posset. Tunc ergo Deus ut magis puniret Saulem, prædixit ei per Prophetam interitum suum & filiorum, & totius exercitus.* Confer. Bellarm. l. c. At 1. nullum potest hæc ratio hic habere locum. Si enim hoc

procederet: Deum tum quando Saul pericula belli jam amplius evitare non poterat, in majorem Saulis pœnam voluisse respondere, sequitur, Deum æque debuisse respondere tum, cum Saul per somnia, Vrim, aut prophetas responsum exspectabat, quam tum, cum per pythonissam Samuelem evocari facit. Quia castra jam omnino eodem erant posita loco, acies æq; instructæ, cum Dominum Saul interrogaret, quam cum à Deo ad Diabolum se convertendo pythonissam consulit. Ideoq; non minus antea belli pericula evitare potuit, quam nunc, cum Samuelem evocari facit. Nam Saul non prius interrogavit, antequam castra posuisset in Gilboa, sed tunc cum castra ponens vidisset exercitum Phylistæorum (sine dubio multo numerosiorem ipsius exercitu, sicuti hoc colligi facile potest ex c. 19. 1. ubi dicitur: *Philistæos transisse cum centenis & millenis*) animo trepidato auxilium Domini implorare incipit, at repulsam cum tulisset, statim mutatis vestibus ad pythonissam abiit, & proxime sequenti nocte adhuc Samuelem evocat. Adeo ut tempus illud, quod inter interrogationem Domini, & provocationem Samuelis intercessit, nimis breve, quam ut in illo bellum evitare, in hoc vero non evitare posset, manente eodem loco exercitu. Adeo ut si omnino Bellarmino concedatur: talem tum fuisse exercitus Israëlitici statum, ut Saul pericula belli evitare non potuerit, acies Israelitarum fuisse instructas ac in conspectu positas, nihil tamen evincat. Cæterum Raynoldus valde invehitur in Bellarminum, quod castra jam fuisse in conspectu posita, aciesque ininstructas dicat, cum tamen Israëlitarum acies non instructæ, sed in castris positæ dicantur. Verba ejus, quibus *imperitiam rei militaris* in Cardinali notat, hæc præl. 87. p. 1064. sunt:

Omnia

Omnia parata erant, & acies instructæ. Quid? num noctu, cum Saul profectus esset ad pythonissam? Vegetius de re milit. l. 3. c. 11. docet, milites cum educuntur è castris & civitate, providendum esse, ut omnes milites ante egrediantur portam, & aciem prius construant, quam hostis adveniat. Sed quid Vegetii mentionem facio, cum omnes historiæ sacræ & profanæ doceant, in castris & urbibus, cum hostes continebantur, non habuisse acies instructas, sed cum educerentur è castris, cum hostibus conflicturi, tum acies instructas esse. Est enim aciem instruere, ita milites ordinare & disponere, ut possint quam commodissime cum hostibus confligere. Atqui Israëlitæ fuerunt in castris. Ergo non jam instructæ erant acies, sed in castris continebantur. Saul enim noctu ad pythonissam venit, quo tempore absente ipso exercitus duce castra non movebantur, neque acies instruebantur. Hæc ille. At, ut diximus, concedamus Bellarmino, castra fuisse tali modo tum posita, ut evitare pericula belli Saul tum temporis, cum apud pythonissam esset, non amplius posset. Concedat vero nobis idem, concedere imo cogitur, ipsa textus cohærentia hoc exigente, castra æque tali modo fuisse posita tum temporis, cum Dominum interrogaret. Si vero jam Deus responsionem suam tam diu saltem distulisset, donec Saul non amplius pericula belli evitare poterat, æque Deus respondere tum potuisset, ubi per somnia &c. responsum aliquod Saul exspectabat, quam ubi per pythonissam illud illegitimo modo quærebat. 2. Multa in contrarium dantur exempla in sacro codice, ubi Deus longo ante tempore aliquibus pœnam prædixit, qui tamen hanc minime evitarunt. Num Eli, de cujus pœnæ prædictione legimus 1. Sam. 2. quia prædicta erat pœna, eam propterea evitavit? cum tamen plus

ſpatii interceſſerit inter pœnæ Eli prædictionem, & ejus exſecutionem, quam interceſſiſſet inter Saulis pœnæ prædictionem, & ejus exſecutionem, ſi Deus eam prædixiſſet ſive per Somnia, ſive per Prophetas. Num Achab, Roboam, Zedekias aliique innumeri fere, quibus in Scriptura mala eventura prædicebantur, illa evitarunt? Non ergo ea, quæ toties in Scriptura prædicta fuere de malis eventuris, quia prædicta ſunt, ideo evitari potuerunt ab iis, quibus eventura prædicebantur. Annon & Diluvium ipſis centum & amplius annis, quam ſeqvutum fuit, primo mundo Deus prædixerat, nec tamen impii illi homines id evitarunt. Annon & captivitas Babylonica multo ante, quam evenit, populo Iſraëlitico prædicta fuit, nec tamen populus pœnam illam declinavit, quam tamen omnino ſicuti primus mundus ac populus Iſraëliticus, ita & Saul declinare potuiſſet, modo vera ſeriaque pœnitentia ad Deum ſe convertiſſent. Neque enim *comminationes Dei* accipiendæ *abſolute* ſunt, ſed *conditionate*, ita ſcilicet, niſi homines agant pœnitentiam. Id quod Ninivitarum exemplum Jonæ 3, 10. care docet, facitque omnino huc Oraculum divinum Jerem. 18, 7. 8. 3. Si Saul tum temporis, ſecundum Bellarminum, belli pericula evitare potuit, cum Dominum interrogaret, multo magis jam, cum ex fictitio hoc Samuele illa mala eventura audiret, potuiſſet. Erat enim nox, in qua commodiſſima fugiendi occaſio. Totius præterea diei itinere aberat ad minimum à caſtris Philiſtæorum. Adeo ut, ſi non totum quidem exercitum ſalvare, ſeipſum tamen minimum ex mortis periculo liberare potuiſſet.

25. Se-

25. *Secundum argumentum* desumimus ex partium apparentium enumeratione. *Si enim fuit verus Samuel, aut fuit ejus anima, aut corpus, aut utrumque. Non anima, non corpus, non utrumque. Ergo non verus Samuel apparuit.* De singulis jam in specie probabimus. Et *primo* quidem, non fuisse animam Samuelis id, quod apparuit, uti quidem Sanctius in 1. Reg. 28. n. 18. Lyra, aliique Pontificii communiter statuunt, probamus 1. *ex generali animarum beatarum post hanc vitam statu.* Hic Apoc. 14, 13. sic describitur: Μακάριοι οἱ νεκροὶ οἱ ἐν Κυρίῳ ἀποθνήσκοντες ἀπάρτι. Ναί, λέγει τὸ πνεῦμα, ἵνα ἀναπαύσωνται ἐκ τῶν κόπων αὐτῶν. At qualis beatitudo? si à tali, qualem vix alloquio in hac vita dignatus fuisset, vir sanctus se in quietari pati debeat. Qualis quies, qua ab homine conscientia maxime inquieto, ad nutum damnatæ pythonissæ, se privari Propheta Dei cogitur? Non sane conveniens cum illa, quam nobis locus Apocalypticus describit, cujus etiam cum Samuel fuerit particeps, minime concedere possumus, eum aliquando illa fuisse orbatum. Sicuti is, qui hic apparet, se inquietatum conqueritur. II. *à Diabolicæ artis magicæ impotentia.* Quamvis concedamus, non raro quosdam effectus habere illas incantationes, nunquam tamen tantam illis vim & efficaciam tribuere possumus, ut etiam animas æternæ beatitudinis jam participes, in terram reducere possint. Quicquid enim hic fit, à Diabolo fit, neque quicquam facere ille posset, nisi permittente illud divina omnipotentia. Sicuti exemplum clarissimum habemus in Jobo, cui Diabolus ne minimum quidem damnum afferre potuit, sine consensu summi Numinis. Si ergo ne tanta quidem potentia Diaboli, ut

in hominis alicujus adhuc viventis bona externa aliquid efficere queat, minime poterit animam beatissimam ad nutum, & murmurationes alicujus Pythonissæ, è loco Beatorum in hanc terram protrahere, sicuti hunc Samuelem vi artis Diabolicæ protractum, infra fusius probaturi sumus. Non movet, quod Galatinus excipit l. 6. de Arc. Cathol. Verit. cap. 8. in fin. *quod licet cacodæmon Samuelem Deo permittente ad Saulum adduxerit, sive traxerit, non tamen propter hoc justitia aut sanctitas in eo penitus suffragium perdiderit. Sicut nec in sancto Job à Diabolo tam vehementer afflicto, nec in Paulo ab eodem colaphis affecto, nec in Antonio diris ab ipso verberibus acto, nec etiam in ipso Domino Jesu Christo, à membris ipsius Diaboli patibulo crucis affixo.* Etenim maxime dispar inter hæc exempla ratio est. In nullo enim istorum Diabolo potentia aliqua divinitus in pios homines interventu artis magicæ concessa legitur. Præterea illi, quos Sathanas Dei permissione ibi afflixit, fuerunt homines viventes, peccatis adhuc obnoxii (loquimur de Jobo, Paulo, Antonio, quod Salvatoris enim nostri Opt. Max. passionem ac crucifixionem concernit, ibi peculiaris prorsus ratio est) adeoque tales, qui non penitus à Diaboli insultibus ac tentationibus immunes. quod vero Samuelis animam concernit, illa cœlestis, jam tum felicitatis particeps facta, adeoque sicut ab omni peccato, ita quoque ab omni inquietudine prorsus immunis. Conf. Sapient. 3,1. unde etiam Sanctius in 1. Reg. 28. n. 14. scribere haut dubitat, *neminem prudentem admissurum, veram alicujus, viri præsertim sancti animam magicis artibus è suis sedibus, in quibus à divina majestate collocata fuerat, evocari posse.* III. *ex animæ Samuelis conditione.* Hæc enim aut volens, aut nolens apparuit. Vtrumque absurdum, blasphe-

blaſphemum, impium. Si enim dixerimus, volentem apparuiſſe Samuelis animam, ſequetur, Samuelem, ſummum divinæ legis dum adhuc viveret, Zelotem, acerbiſſimumque pythonum artisque magicæ hoſtem, jam poſt mortem ſe ultro hujus poteſtati ſubmiſiſſe: quod credere quid abſurdius? imo non potuiſſet de inquietatione conqueri, ſicuti v. 15. facit. Si nolens apparuiſſe dicatur, graviora ſequentur abſurdia: Nam ſic impia illa ſententia, Animas ſanctorum in Veteri Teſtamento aliquo modo fuiſſe ſub poteſtate Diaboli, non parum roboris accipiet. Quod ipſi Pontificii in æternum non concedent. Manet ergo, Samuelis animam non apparuiſſe. IV. *à Dei in opere, æternis flammis dignissimo, nulla cooperatione.* Aut enim anima Samuelis apparuit volente, aut nolente Deo. Non prius: quia blaſphemum (verba ſunt Dn. D. Danhaueri in Hodoſophia, Phænom. IV. p. 277.) *cogitare, Deum contra legem à ſe latam, ad prævias necromantiæ diſpoſitiones, in opere æternis flammis dignissimo, beatiſſimam animam, ad nequiſſimi Regis curioſitatem inquietare voluiſſe.* Non poſterius, quia ſic poteſtate magica animam beatam è cœlo attrahi, non volente Deo, ſequetur. Cadit ergo exceptio illa Martini Del Rio, pro apparitione animarum à Dei omnipotentia deſumta. *Probatur* (inquit) *noſtra concluſio* (nimirum animas poſſe redire) *contra philoſophos illos nimis carnales, qui nihil credunt, niſi quod vident, ideo revera nihil credunt: contra hos, inquam, probatur noſtra ſententia ratione unica, quia cum Deus ſit omnipotens, poteſt, quicquid non implicat contradictionem. Sed hoc quod aſſerimus, adeo non implicat contradictionem, ut etiam naturæ ſit conſentaneum. Poterit ergo Deus, qui creavit animas, efficere, ut eadem ſepara-*

paratæ iterum appareant. Imo, si Deus non obstet, posset naturali sua vi id ipsa anima. Quia nihil hactenus adversarii proferre potuerunt, quo probarent, animarum naturæ id repugnare. Nam non de potentia Dei absolutissima quæritur, num videl. Deus animas in terram reducere queat, sed de voluntate, num reducere eas velit. Et quidem ad prævias necromantiæ dispositiones. Multa enim Deus facere potest, quæ tamen propterea facere non vult. Sic potest ex lapidibus suscitare filios Abrahamo, propterea tamen non suscitat. Sic etiam Deus potuisset quidem animam Samuelis in terram reducere, at quod voluerit, Martinus argumento illo non probabit. Quod vero addit idem: *animam naturali sua vi, si Deus non obstet, id posse facere &c.* id quidem jam sub examen vocare nolumus. Quia neque ille ullum argumentum protulit, quod, animæ naturæ id non repugnare, probaret. V. *à Samuelis apparentis descriptione*, quæ sane animæ nullo modo competere potest. Pythonissa enim vidit eum, qui ascendebat. At anima invisibilis nec videri potest. Adde, quod illud, quod ascendit, appareat in forma senis alicujus pallio amicti v. 14. At quomodo anima potuit in figura senis pallio amicti apparere, cum sit ἀσώματον, καὶ ἀμόρφον. neq; ulla proportio inter pallium & inter animam, sicut illud dicitur pallio amictum. At excipiat aliquis cum Jesuita Gretsero Defens. Bell. t. 2. p. 260. *animam quidem Samuelis non fuisse visam à pythonissa, sed assumsisse sibi aliquod corpus, quod à pythonissa visum fuerit.* Verum respondemus, illud *corpus*, in quo Samuel apparuit, aut fuit ipsius *proprium*, aut *alienum*, aut *aëreum*. Non *proprium, quia* (confitente Martino DelRio Disq. mag. l. 2. q. 26. sect. 2.) *honestum non videtur, nec decens sanctas illas, & jam glorio-*

sas

rioſas animas, corporum ſuorum diffluentium, & tabidorum ante reſurrectionem anguſtias iterum ſubire. Cum id ſit minime neceſſarium &c. Et Samuelem non in proprio corpore apparuiſſe, (ſicuti ejus ſententiæ fuiſſe videtur Cornelius Agrippa, annotante Raynoldo cenſ. libr. Apocr. pr.90.p 1105. ſeqvutus forte Apellas, de quorum non multis, ut de R. Meyer Gabay tale quid prodit R. Manaſſe Ben Iſrael l. 2. de Reſurr. c. 6. p. 167. idemque conſtat ex libro Jalkur. quæ etiam ſententia ipſi Manaſſe d. l. arridet) inde manifeſtum, quia jam fere biennium antea mortuus. Nam 1. Samuel. 25, 1. moritur, cap. 25. 26. 27. in variis deſertis & locis oberrat David, tandem cap. 27. venit ad Achis. Cum eo commoratur per integrum annum & quatuor menſes, cap. 27, 7. Poſtea exercitum colligunt Philiſtæi adverſus Iſraelitas. Quo facto, Saul prius pythoniſſam conſulit. Adeo ut ad minimum annus & quatuor menſes, ſi non integrum biennium præterlapſum, præter illud tempus, quod David in variis deſertis oberravit. In quo tempore corpus Samuelis computruiſſe, vix dubium. Cum Chriſtus excitaturus eſſet Lazarum Joh. 11. Martha dicit: *Domine, jam olet, quatuor enim dies in ſepulchro jacuit.* At Samuel jam non erat quatuor dies ſepultus, ſed quater quatuor ad minimum menſes. Et cujusmodi odorem excitaſſet, ſi in ſuo corpore tamdiu ſepulto Sauli apparuiſſet? Veriſimile ergo eſt, Samuelis corpus ita computruiſſe, ut non potuerit forma ſenis alicujus apparere, ſic, ut Saul, eum Samuelem eſſe dignoſcere potuerit. Nec etiam *alieno* apparuit Samuel *corpore.* Quia præterquam quod æque minus deceat, quam propria ſubire corpora, non diffitente iterum Martino Del Rio l.c. *Beatus animas* (inquit) *aliena corpora non ſubire*,

omnino crediderim. Neque enim id illas decet. Etiam fini apparitionis id repugnat, qui est, germanis & propriis lineamentis, atq; notis exuviarum agnosci. Quod si aliquis in alieno appareat corpore, fieri non potest. Non denique *in æreo recens efformato corpore* Samuel apparuit, quæ *communis Pontificiorum sententia est*, teste Gaspare Sanctio in 1.Reg. 28.n.38. Etenim ipse Del Rio concedit, *animam separatam non posse alia à se movere.* Verba ejus hæc sunt: *Elementaria hæc corpora non ipsæ animæ sibi componunt, sed angeli illa vel Dæmones fabricantur, nec enim animæ separatæ queunt in hac agere, ut necesse. Nam hoc motu locati faciendum foret, anima vero separata non potest vi propria alia à se movere, ex veriore sententia* (in margine allegantur Sot. Suarez. & Peltanus) *caret enim organis corporeis, quæ illi ad movendum corpus erant necessaria quando erat in corpore.* Si vero Samuelis anima non potuit agere in corpus aliquod assumtum, neque illud locum movere, manet, hunc qui apparuit, non fuisse verum Samuelem. Videns tamen Martinus, assertionem hanc non parum facere contra Pontificios, sibi ipsi ocjicit; *Si in elementari corpore anima nequit agere, quo pacto in illo poterit apparere, aut illud subire. Respondeo* (inquit) *animas corpora hæc non arbitratu suo sed Dei subire voluntate atq; imperio. Quare quando hoc fit, tum Deus illis largitur qualitatem aliquam, quæ defectum suppleat. Quod quoad animas beatas apertius puto propter visionem Dei, multa illis largientem dona, & eorum desideriis abunde atque per omnia satisfacientem.* Hæc sibi ipsi respondet, at sine fundamento. Vnde enim probabit, Deum velle, animas beatorum apparere post hanc vitam, largiri illis qualitatem illam, qua corpora possint movere, Animas desiderio aliquo teneri, in cor-

pore

pore aëreo efformato apparere, cui desiderio Deus propter hanc visionem ejus satisfaciat. Saltem hæc in Samuele non habere locum possunt. Minime enim credibile est, eum desiderio aliquo fuisse detentum apparendi ad prævias necromantiæ dispositiones. Vtpote qui infensissimus artis hujus Diabolicæ hostis. Tacebimus etiam, quod si Samuel non in proprio, sed in aërio apparuisset corpore, non fuerit verus Samuel, ut qui constitit anima & corpore proprio, non aërio.

26. *Nec fuit etiam corpus Samuelis,* sicuti in hac sententia fuit Paulus Burgensis in addit. 2. ad Lyranum super 1. Reg. 28. Dionysius Rickel ac Hugo Cardinalis in 1. Reg. 28. item Petrus Comestor in Histor. Scholast. idemque inter recentiores statuere videtur Franc. de Mendoza Olissiponensis, in Ebor. Acad. sacr. litt. Interpres, in libb. Reg. t. 2. p. 80. Nam I. corpus ejus, uti jam tum antea ostensum, jam toto fere biennio in sepulchro jacuerat, *& jam in cineres erat redactum. Num ergo credibile, Sathanam illud resuscitasse? hoc non nisi impius dixerit. Diabolus enim æque non resuscitare potest mortuos, ac creare vivos,* ceu bene monet B. D. Balduinus Cas. consc. l. 3. cap. 7. initio. p. 609. Quæ etiam sententia ab ipsis Pontificiis communiter defenditur, vid. Libertus Fromondus Haccurianus Comm. in Apoc. c. 13. 3. pag. 205. Ignatius Der-kennis, Tract. de Deo Creator. 378. 379. Alias adhuc rationes, quare Diabolus corpus Samuelis suscitare non potuerit, proponit quoque B. D. Gerhardus l. c. quarum præcipua: *Quia corpus Samuelis quietum in sepulchro jacuit, nec ullis Diabolicis incantationibus excitari potuit, cum Deus non minus ossa, quam animas piorum custodiat, ps. 34, 21.* II. Corpus mortuum est, omnis sensus ac motus

expers, non potest ascendere, non loqui, non ambulare, uti hoc quod apparuit Sauli, fecit. At excipiat aliquis in gratiam Burgensis: *non quidem corpus Samuelis locutum fuisse, solum ambulasse, ascendisse, sed Diabolum illud induisse*; Sed quis ex sanctissimo Dei prophetæ corpore instrumentum Diaboli fecerit? Adde, quod ipsi Pontificii communiter doceant, existimandum haut esse, posse Dæmonem defuncti alicujus hominis cadaver adsumere, nisi forte cadaver, alicujus hominis damnati, idque in casu raro & extraordinario. Vid. Tyræus l. 1. de spir. Appar. c. 9. n. 166. Del Rio l. 2. Disqq. magic quæst. 28. sect. 1. Suarez de Angel. l. 4. c. 37. n. 5. &c. 35. n. 5. Adamus Tannerus Theol. Scholast. t. 1. Disp. 5. q. 5. dub. 5. q. 5. dub. 5. p. 1516. Imo tum Samuelem Sauli respondisse, non dici à Pontif. poterit. Neque enim Samuel, sed Diabolus tum prophetasset. Falsum etiam esset, quod Siracides dicit, *Samuelem post mortem exaltasse vocem suam de terra*: etenim, si talis hypothesis admittatur, non Samuelem, sed Diabolum, qui corpus Samuelis obsedit, hoc feciſſe, dicendum foret. III. Non opus habuit tum Diabolus, ut corpus Samuelis assumeret, quia eodem labore potuit aliud efformare corpus ad figuram corporis Samuelis. Recte Franz. Vallesius, Philippi II. Catholici Regis Archiater Philos. Sacræ cap. 33. p. 192. *Non desunt*, scribit, *qui asserentes, non fuisse phantasma dæmoniacum, sed ipsum Samuelem, existimant, assumsisse Dæmonem Samuelis corpus, atque ex illo respondisse, atque vocari Samuelem, ut cujusque hominis cadaver ipsius nomine dicimus. Hoc vero sine omni probabilitate, neque sine prophetæ injuria, videtur dici: nam longe facilius erat Dæmoni, aëreum corpus effingere, aut videntium oculis illudere, quam dissolutum jam in sepul-*

sepulchro corpus in formam pristinam vel apparentem restituere. Quod autem majus opprobrium fieri poterat prophetæ corpori, quam à Dæmone adsumi? hoc igitur minime est probabile &c. Confer. B.D. Gerhardum l.c. *Neque etiam fuit totus Samuel,* & secundum animam, & secundum corpus, quia præterquam, quod eadem jam enumerata absurda inde sequantur, porro adhuc sequetur. I. Diabolum posse præstare id, quod solius est Dei, nimirum excitare mortuum. Hoc autem propria virtute præstare sive efficere, solius Dei opus esse, nemo non concesserit. Videatur præter alios Bernhardus Paxillus de Brzezek, Ord. Prædic. S. Dominici in Monomach. pro Defens. Fidei SS. Trinit. p. 463. Bene Michael Rhotardus in Cruc. Saulit. p. 43. *Non satis firmiter adstructum adhuc video, aut quomodo saltem adstrui possit, Diabolum potuisse corpus & animam, uti verum ac genuinum Samuelem efficeret, conjungere, quem è terra postliminii quasi jure prodire jusserit. Illa enim non mira modo, sed miracula Deo uni & soli in solidum competunt, videl. aliquando* διαστήματι *sejunctas hominis partes iterum priori formato concludere.* Dicere vero, *non Diabolum, sed Deum Samuelem excitasse,* (quod tamen præcipuum Pontificiorum effugium est, usque adeo quidem, ut Jesuita Sanctius in 1. Reg. 28. n. 18. scribere non dubitet: *Si excitatum esse dicamus, Samuelem illum, à pythonissa, idem ego, quod isti, lubens confiterer, neque enim prudens aliquis, opinor, admitteret, veram alicujus animam, viri præsertim sancti, magicis incantationibus è suis sedibus, in quibus â divina supremaque potestate collocata fuerat, evocari posse.)* est contra claram textus litteram aliquid affirmare, (unde etiam Jesuita Jacobus Bonfrerius Comm. ad Deut. 18, 11. diserte scribit, *quod pythonissa jussu animam*

Samuelis evocarit,) quoniam v. 15. à Saule se inquietatum conqueritur. Si vero Samuel esset à Deo excitatus, non potuisset de aliqua inquietatione conqueri, multo minus hujus causam Sauli adscribere: Porro si Deus Samuelem excitasset, aliquam vel Samuel, vel Spiritus S. in narratione hujus historiæ de illa excitatione fecisset mentionem, ne vel pythonissa, vel aliquis alius in eam deveniat opinionem, Samuelem vi artis magicæ fuisse excitatum. Præsertim cum hæc saga non tantum arroganter dicat Sauli: *quem tibi proferam;* quasi in illius esset potestate, pro lubitu proferre quem non vellet. Sed etiam v. 21. de opera bene peracta glorietur: *Ecce,* (inquit) *serva tua audivit ad vocem tuam,* (nimirum cum Saul peteret, sibi Samuelem produci) *& posui animam meam in manu mea, ut audirem ad verba tua, quæ mihi dicebas.* In eo nempe posuit animam in manu sua, quod præsente ipso Rege, quem omnes Hariolos, pythones &c. de terra ejecisse, sciebat, per incantationes magicas tamen producebat eum, quem Rex produci volebat. Jam vero si minimam cum hac re habuisset Deus communionem, providus ejus oculus non permisisset, hoc in totum silentio præteriri. Sed sine dubio, aut ipsum Samuelem aliquam istius rei mentionem apud Saulem facere curasset, ne Saul in ea manssisset opinione, Samuelem vi artis magicæ fuisse excitatum. Aut in descriptione historiæ annotasset, ne postea aliquis animas & corpora beatorum, vi magica iterum posse conjungi, & sic excitari, existimaret. Sed quia neutrum fit, & neque Samuel, neque historicus illius rei (quod nempe Samuel non per pythonissam fuerit excitatus) mentionem faciat, concedere non possumus, Samuelem à Deo fuisse excitatum. Quia denique, si Samuel secundum

dum corpus & animam apparuit, ſive à Deo, ſive à Diabolo ſuſcitatus, aut iterum fuit anima ejus à corpore ſeparata, aut non. Vtrumque abſurdum. Si enim non fuit ſeparata, tranſiit Samuel vel in cœlum, quod ſecundum Pontificios abſurdiſſimum, qui Patres, & beatos veteris Teſtamenti in limbo degiſſe volunt. In quem etiam non deſcendiſſe inde patet, quia limbus ſecundum hos, receptaculum animarum, non vero corporum. Tertium vero aliquem locum excogitare, eſt fingere, non probare. *Fuerunt ergo ſeparata;* dicat aliquis. At num Deus prophetam, qui jam ſemel mortem ſubiit, in gratiam regis impie curioſi, eam ſecunda vice ſubire faciet? quid abſurdius? Manet ergo, ſi neque corpus, neque anima Samuelis, neque utrumque apparuerit, uti jam probavimus: non verum, ſed phantaſticum Samuelem, ſive diabolum ipſum apparuiſſe, quod porro patet ex ejus

27. 3. *Concionis qualitate.* Nam unicus hic Diabolicæ concionis ſcopus, ut Regem jam omnino deſperantem, & ſecundum corpus atque animam anguſtiis & calamitatibus immenſis circumdatum, magis deſperatum reddat: Ideoque nullum conſolationis fundamentum aut verbum profert. Sed deſperatiſſima Regi jam deſperanti proponit. Primo etiam ſtatim intuitu graviſſima ei peccata ob oculos ponit. Quando v. 15. dicit: *Quare inquietaſti me.* Quaſi dicere vellet. Quare tam graviter me ex mortuis ſuſcitando, & ſic inquietando adverſus mandatum Domini peccaſti. (Loquitur nimirum Diabolus, quaſi verus eſſet Samuel, cujus tamen perſonam externa tantum figura repræſentabat.) Ipſos Pythones, Hariolos &c. è terra ejeciſti, & jam me per illos inequietas. Deus ipſe in lege ſua mandavit, ne illos adeamus, imo graviſſime minatus

eſt,

est, se propter hæc peccata gentes integras è terra ejecturum. Cur ergo contra illud mandatum peccasti? Cur me inquietasti? singulis verbis suum pondus inest. Dicit, *inquietasti,* In textu Hebræo habetur verbum רגז, quod in Hiphil significat non tantum *commovere*, aut *inquietare,* sed *adiram provocare.* Sive ergo in una, sive in altera significatione sumatur, magnam tamen videtur habere emphasin. Si vertatur, *inquietasti,* videtur eo velle indicare maximum Saulis peccatum, quod animam jamdudum æternæ quieti adscriptam inquietarit. Si vero vertatur, *adiram commovisti, vel provocasti,* majorem adhuc videtur habere animum Saulis commovendi vim. Quoniam tum statim in initio suorum verborum omnem salutis spem Sauli præscindere videtur. Hinc enim Saul lætum aliquod nuntium exspectabat, sed è contrario tristissimum accepit. Deus ab eo recesserat. non respondebat per somnia, Vrim, aut prophetas. Omne consilium deerat. Vnica anchora in Samuelem, quem provocare proposuerat, fixa. At miserrime deceptus miser rex. Quomodo enim consolationem, aut lætum aliquod nuntium ab eo exspectare potuit, qui vix dum incipiens loqui, ad iram se provocatum esse innuit? Voluit nimirum hæc ita Diabolus, Samuelis personam mentiens, proferre, ut verba sua cum pœna Sauli jamdudum prædicta convenirent. Deum Sauli iratum sciebat, se etiam iratum esse dicit. Deus antea tacuerat, neque ullum verbum sive bonum sive malum Sauli responderat. Fictitius Samuel pœnam Sauli prædictam, quam etiam Saul ex silentio Dei sibi jam proxime imminentem facile colligere poterat, hisce verbis multo graviorem proponit, quam Rex fortasse exspectarat. Sine dubio enim Saul semper

ad-

adhuc pœnæ aliquam mitigationem ſperavit, ſicuti homines communiter ſolent; nam Deum non imaginantur ſibi adeo iratum, quam quidem revera eſt. Dicit porro, *inquietaſti me*, Samuelem, prophetam, mortuum. Vbi tamen expreſſe in lege divina prohibitum conſulere mortuos. *Me*, qui jam æternæ quieti adſcriptus, cur rurſus inquietaſti? *Me*, qui cum adhuc in vivis pœnam tibi ipſi prædicabam. Num ergo ſperas, *Me* aliquod lætum tibi nuntium allaturum? Et ex ſequentibus verbis ſatis pateſcit, non multum conſolationis Saulem ex hiſce verbis hauſiſſe, dum præ magno cordis angore in hæc verba erumpit: *Valde angor. Philiſtæi bellum gerunt adverſus me, Deus à me receſſit, neque reſpondet mihi quicquam, neque per prophetas, neque per ſomnia. Ideo vocare feci te, ut monſtrares mihi, quid faciendum eſſet.* Si vero minimam ex hiſce Samuelis verbis Saul accepiſſet conſolationem, ad minimum aliquo modo ejus angor ſedatus fuiſſet.

28. Sed ſummam Regis anxietatem magis adhuc auget miſer miſeri conſolator, ſtatim quippe ſubjicit: *quid vis me interrogare? Cum Dominus à te receſſerit, & factus tuus hoſtis.* Antea Saul aliquod adhuc reſponſum ſperare poterat. At jam omnem ſpem accipiendi reſponſum, Sauli hiſce verbis fictitius ille Samuel præſcindit, indicans, fruſtraneum eſſe, ut Saul eum interroget, quoniam nihil reſpondere poſſet, cum Dominus ab eo receſſiſſet. Laterem ſcilicet lavat is, qui apud mortuos prophetas reſponſa quærit, quæ ipſi per vivos à Deo denegantur, cum Deus mortuos conſulere expreſſe prohibuerit. Deinde pergit, & ejus *pœnas* enumerare incipit, tam *temporalem*, quam *æternam*. *Temporalem* proponit, tum in regni amiſſione, hiſce verbis: *Dominus faciet tibi, quemad-*

modum locutus est per me, quia laceraverit Jehova regnum Israël de manu tua ut tradat illud proximo tuo David. Cujus causam vers. sequenti addit: *Cum non auscultaveris voci Jehovæ, neque exsecutus sis iram ejus accensam in Amalekum: idcirco rem hanc facit tibi Jehovah hoc die.* Tum in infelici belli egressu: *præterea traditurus est Jehovah Israëlem quoque tecum in manum Philistæorum.* Quæ omnia facillime Diabolus conjecturari poterat, nam capite 15. erat à vero Samuele adhuc vivente prædictum, Saulem privandum regno, quod Davidi postea traderetur. Cujus exsecutionem jam non procul abesse, ex omnibus circumstantiis facile colligere poterat. Dominus enim non amplius respondebat quicquam. Saul erat perterritus. Philistæorum exercitus valde numerosus. Ex quibus signis & fortasse etiam aliis, quæ astutissimus hic Spiritus observarat, illa Sauli prædicere, non grave ipsi erat. Quod autem dicit: *Sicuti Dominus per me est locutus,* in eo eleganter mentitur Diabolus, ut majorem suis verbis autoritatem conciliet. *Æternam* ejus *pœnam* includit hisce verbis: *Cras tu & filii tui mecum.* Nimirum non satis erat Diabolo, temporalem annunciare Sauli pœnam, sed & æternam insuper addit, ut eo certius ad desperationem rex adducatur. Quod autem hæc verba de *esse cum Diabolo,* in eodem infelicitatis statu sint intelligenda, infra pluribus probabimus.

29. Hæc ergo est elegans illa concio, quæ facile magistrum & concionatorem suum prodit, illum nempe non aliquem prophetam sanctum, multo minus Samuelem, sed immisericordissimum spiritum fuisse. Nam, ut jam antea dictum, nullum adhortationis, consolationis &c. verbum profert, quod maxime facere debuisset, si à Deo,

ut

ut ad pœnitentiam Saulem adhortaretur, ſicut Pontificii volunt, eſſet miſſus. Imo de Samuele tale quid cogitare, repugnat affectui Samuelis adhuc viventis, erga Saulem, jam omnino à Deo relictum, demonſtrato. Legimus enim cap. 15. hujus libri, quantum affectum habuerit Samuel erga Saulem, etiam tum, cum omnino pœnitentia ductus fuit Jehova, quod Saulem in regem Iſraëlis conſtituiſſet, ita ut etiam lugeret Samuel, propterea quod Saul à Deo eſſet reprobatus, adeo ut etiam Deus Samuelem increpaverit, propterea quod nimis Saulem lugeret, uti videre eſt c. 16, 1. Si vero tum temporis Samuel tantopere luxit Saulem, cum pœna tantum eſſet prædicta, multo magis jam, ſi non luxiſſet, ad minimum tamen aliquod compaſſionis ſignum dediſſet, ex quo colligere Saul poſſet, nondum in totum veterem illum affectum interiiſſe. At nullus compaſſioni locus, nulla cogitatio proferendi aliquod verbum, quod Sauli levamen ſubminiſtrare poterat. Cum dives Epulo in mediis jam agens ignis infernalis flammis, Abrahamum è longinquo conſpectum rogaret, ut Lazarum mitteret, qui intolerabilem ejus ardorem, unico digito aquæ immerſo, aliquantulum refrigeraret, non tam acerbum reſponſum reportat, quam in noſtro textu Saul. Nominat enim Abraham eum filium. At hic Samuel nullum nomen Sauli tribuit. Et præcipue in eo patet ejus immiſeri cordia erga Saulem, quod nullam ei monſtraverit viam, aut quid ad animæ ejus ſalutem faciendum eſſet. Nam Saul, quanquam reprobatus à Domino, ut non amplius eſſet rex, tamen propterea non damnatus, ideoque Samuel, ſi non voluiſſet monſtrare, quid faciendum eſſet ei, ut regnum poſſet obtinere, tamen ſine dubio monſtraſſet aliquam viam,

am, aut dediſſet aliquod conſilium, quo ſalutariter ad animæ ſuæ ſalutem uti potuiſſet. Sed è contrario potius de terreno regno ejectum, cœleſti etiam privare conatur, dum Dominum ab eo receſſiſſe, & factum ipſius hoſtem dicit, & in eadem rationis continuatione ſubjungit. *Cras tu & filii tui mecum eritis.* Quæ verba de infelici ſtatu Saul non explicare non poterat, quia Dominum factum fuiſſe ipſius hoſtem, paulo ante adhuc intellexerat. Ideoque etiam hæc audiens, ſemianimis in terram procidit.

30. At excipiunt: *Saulem id peccatis ſuis optime meritum fuiſſe, quia Deus ante ſatis temporis ad pœnitentiam ei dederat, in quo tamen ſe non converterit.* Verum de hoc jam nulla controverſia; concedimus enim Saulem id quidem peccatis ſuis meritum fuiſſe, imo juſtiſſime ob transgreſſionem mandatorum Dei punitum. Sed hoc tantum controvertitur: num probabile ſit, verum Samuelem tali cum vehementia invecturum in Saulem, ut etiam æternam ei damnationem ob oculos ponat, nullumque remedium hanc evitandi monſtret, cum Deus Saulem non ex abſoluto quodam decreto reprobaverit, ut non eſſe potuerit particeps vitæ æternæ, ſed tantum de terreno regno ejecerit. Ideoque quamvis Saul pœnam meritus æternam, pœnitentia tamen acta eam vitare potuiſſet, ad quam, ſi verus Samuel fuiſſet, ſine dubio eum adhortatus fuiſſet, & à Deo eum adhortandi mandatum accepiſſet, cum Deus non velit quemquam perire, ſed omnes ſalvari & ad pœnitentiam reverti, 2. Pet. 3. 9. quapropter etiam Jonæ, ob converſionem Ninivitarum irato, valde iraſcitur, Jonæ 4. Et Salvator ipſe Hieroſolymitanos ob eorum pertinaciam & impœnitentiam deflet, Luc. 19, 41.

31. Ex-

31. Excipit Martinus Del Rio Disq. M.p. m. 278. *Concionatorum & confessionariorum officium hoc esse, ut hominibus brevitatem vitæ proponant, & dicant illud prophetæ: Dispone Domui tuæ, quia morieris & non vives. Item. Stulte, hac nocte tollam à te animam tuam, & alia hujusmodi, quibus sanctum inducant timorem: quod si peccatores inde ansam arripiant desperandi, sibi reum id debere imputare, quod bono pharmaco sit abusus, similia, pergit, est cernere in hoc facto Samuelis: qui quæ ad pœnitentiam apta proponebat, Saul in malum succum convertit. Deinde nemo nescit, non minus aliquando juvare consilia & adhortationes, quæ non expressis verbis, sed indirecta quasi oratione proponuntur: virtutem enim habent consolandi, & à malo revocandi.* Similia habet Hieron. Bapt. d. La Nuza, tract. Ev. t. 8. p. 767. scribens, *Samuelem non incantationum, sed Dei virtute fuisse excitatum, ut impium regem corrigeret, & ad pœnitentiam denuntiato mortis pavore provocaret.* Gemella quoque habet Sanctius in 1. Reg. 28. n. 22. At respondemus 1. Concedimus, concionatorum & pastorum officium hoc esse, ut hominibus vitæ brevitatem ob oculos ponant. At longe alio modo hoc fieri debet, quã fecit in nostro loco phantasticus ille Samuel. Modum videre possumus in Epistola Jacobi c. 4, 13, 14. *Age nunc* (inquit) *qui dicitis hodie vel cras proficiscemur in illam urbem, & agemus ibi in annum unum, & mercabimur, & lucrabimur. Qui ignoratis, quid futurum sit postero die, quæ est enim vita vestra? Vapor enim est, ad exiguum tempus apparens, & deinde disparens.* Nimirum, secundum Apostolum illis hominibus vitæ brevitas proponenda, qui securi in longum tempus adhuc vivere sperant, nil nisi mundana cogitantes, quomodo divitias corradere,

&

& multa lucrari possint. At illis hominibus, qui jam omnino nimio mortis timore detenti, singulis diebus finem vitæ adesse putant, non opus est hæc annunciare. Sicuti Saulem tali timore fuisse detentum, nemo dubitare facile poterit. Ideoque non opus, ut Samuel ei mortem ob oculos ponat. Cum præterea id longe alio modo faciat, quam Apostolus. Non enim tantum brevitatem vitæ annunciat, sed certissimum mortis tempus ei præterminat: *Cras tu & filii tui mecum eritis.* Neque simplicem mortem prædicit, sed talem, qualem devictus in bello, & ab hoste captus sperare potest. Nam immediate ante dicit *Cras tradet Dominus Israelem & te in manus Philistæorum.* Judicandum jam alicui relinquimus, num Saul, qui antea mortis timore obsessus, jam certissimum tempus audiens, imo violentam fore eam intelligens, aliquod pœnitentiam agendi fundamentum, ex hac nimis sane indirecta ad hunc scopum oratione, jacere potuerit? Et annon potius majorem desperandi ansam ariripuerit, ceu in textu quoque legimus, quod etiam exanimis terræ prostratus præ desperatione jacuerit? At dicat aliquis, *culpa vacare Samuelem, quia quæ ad pœnitentiam apta proposuerit, ea postea in malum succum Saul converterit.* At qui Saul id, quod in malum finem proponebatur, in bonum succum convertere potuit? Quæso detur aliquis, conscientia perterrita, meticulosa, desperata oneratus, qui talia, qualia personatus ille Samuel proponebat, in bonum succum convertat. Nam Saul de exitu hujus belli dubius, num felix, an infelix futurus, apud Samuelem, quem propterea provocari facit, dubitationis solutionem quærit, adhuc felicem eventum sperans. At infelicem futurum ex hac Samuelis prædictione percipit,

adeo,

adeo, ut illa dubitatio, quæ antea adhuc tam felicem ſperare, quam infelicem metuere eventum poterat, jam non alium quam infeliciſſimum exſpectare potuerit. Præterea falſum, quod Samuel ea, quæ apta ad pœnitentiam, propoſuerit. Nam primo ſtatim intuitu omnem ſalutis ſpem præſcindit. Deum à Saule receſſiſſe, & factum ipſius hoſtem dicit. Quæ ſane minime apta ad pœnitentiam. Quoniam is, qui pœnitentiam agit, ad minimum de eo certus eſſe debet, quod Deus eum in gratiam recipere velit, alias fruſtra eſt, pœnitentiam agere. At hic, Deum Saulis hoſtem, ab eo receſſiſſe, ideoque minime in gratiam recepturum, dicit. Neque etiam ullam pœnitentiæ mentionem injicit. Si vero ſcopus hujus Samuelis fuiſſet, Saulem ad pœnitentiam hortari, debuiſſet aliquam pœnitentæ mentionem feciſſe, & Sauli media aliqua, quibus gratiam Dei amiſſam recuperare poſſet, monſtraſſe, & quid ei, cui tam breve vitæ ſpatium jam amplius reliqvum, faciendum eſſet, indigitaſſe, At altum hic ſilentium. Metuit forſitan infernalis auceps, ſibi hanc prædam eripiendam, ſi non laqueo deſperationis eam vinciret. II. Loca quæ adducit, illa nimis diſſimilia, quam ut pro Samuele aliquid inde concludi firmiter poſſit. *Primus*, qui petitus eſt ex Eſa. c. 38, 1. multifariam differt à noſtro in iis, in quibus tamen, ſi aliquid eo probari poſſet, convenire debebat. Nam I. Eſaias hortatur Regem, ut prius diſponat domui ſuæ antequam moriatur: *Diſpone Domui tuæ, nam morieris, & non vives.* Adeo ut illa concio non in deſperationem, ſed conſolationem Hiskiæ fuerit, qui bene diſpoſita domo, ſecundum concionem hanc Propheticam de ſalute dubitare minime potuit. At Samuel ille perſonatus nullius diſpoſitionis mentionem facit.

Non

Non dicit: *Dispone domui tuæ &c.* ubi tamen Saul maxime opus habuisset, in tanto rerum discrimine, domui suæ disponere, quo quiete diem suum obire posset. Sed statim facta mentione mortis, & quidem violente quam Saul facile exinde colligere potuit, quod in manum hostium esset tradendus, discedit, nullumque remedium Regi, ardentissime tamen id expetenti, dat. 2. Non præscribitur Hiskiæ certum aliquod tempus, in quo moreretur, sed dicit simpliciter: *Morieris, & non vives.* Vt sic Hiskias multum temporis sperare potuerit, antequam moreretur. At personatus noster mortem ad sequentem diem adstrinxit. *Cras tu & filii tui mecum eritis.* Quod ad majorem ejus angustiæ adauctionem dixisse, extra dubium. 3. Hiskias jam è multis calamitatibus erat liberatus, quibus antea circumdatus fuerat. Imo miraculose erat liberatus. Ex quo facile singularem Dei erga se gratiam colligere potuit. Nullum ergo amplius periculum sibi ab hostibus metuere poterat. Omnes enim profligati. Nam cap. 37. Esaiæ legimus, Deum misisse Angelum, & percussisse in exercitu Assyriorum 185000. virorum, & sic Hiskiam liberasse. At Saul mediis adhuc versabatur in calamitatibus, undique angor, timor, ac angustia; Philistæi nondum cæsi, sed è contra multo numerosiores Israelitis. Israelitæ pauci, trepidi, ac perterriti. Et quod maximum, Saul audire debet, se cum toto Israelitarum exercitu tradendum in manus Philistæorum a quibus non nisi pessima sperare poterat. *Alterum* quod attinet locum, æque minus ad nostrum applicari potest, ac præcedens. Nam rusticus ille Luc. 12. erat homo securus, qui nihil aliud cogitabat, quam quomodo genio indul-

indulgere ac laute vivere posset. Nullis calamitatibus erat oppressus. Ideoque quodam ànno, ad abundantiam usque à Deo benedictus, horrea sua amplificare cogitat, & in verba hæc Epicuræa erumpit: *Anima habes multa bona reposita in multos annos: requiesce, ede, bibe, oblectare.* Et talibus hominibus mortem annunciare certissimam, ut pœnitentiam agant, & ab illa securitate desistant, Deus videtur. At Saul non erat securus, sed è contra nimis mortem metuens, adeo ut non opus, Sauli mortem ob oculos ponere, ut eo ad pœnitentiam adduceretur, sed potius aliquid fuisset proferendum, quo metus nimius mortis in Saule diminueretur. Quod quia secus factum, non possumus concedere, hunc concionatorem fuisse verum Samuelem, à Deo ad convertendum Saulem missum. Quapropter etiam Bellarminus videns, concionem hanc non esse aptam ad pœnitentiam, dicit, Samuelem propterea jam à Deo missum, *ne Saul bellum, & pœnam sibi à Deo paratam evitaret.* Quam etiam sententiam supra refutavimus.

32. *Præterea destituta est hæc concio signo Prophetico,* quod omnibus alias concionibus Propheticis addi solet. Nullam enim vel Samuel ille, vel historicus, de missione Samuelis ad annunciandum hæc Regi, mentionem facit. Si autem Pontificii velint, concionatorem hunc â Deo esse missum, sive ad pœnam Regi denunciandam, sive ad adhortandum ad pœnitentiam, monstrent unicum in toto contextu signum, ex quo hoc probare possint. Dicit quidem Bellarminus l. 2. de Purg. c. 6. *apparitionem Samuelis præveniisse mulieris incantationes.* Similia habent Alph. Mendoza l. c. p. 422. Sanctius l. c. & alii Pontificii communiter. Martinus Del Rio monet, *Samuelem*

esse à Deo missum, ut impium regem corriperet, & ad pœnitentiam hortaretur. At contra claram textus literam, quæ hunc, qui apparuit, incantationum magicarum vi ascendisse docet. Quoties autem alibi in sacro legimus codice, prophetas, aut alios Dei viros singulare aliquid prædixisse, etiam ex ipso contextu videre possumus illos à Deo fuisse, nam aut ipsi suæ, aut historicus illorum missionis mentionem facit. Exempla vide 1. Samuel 2, 27. 2. Sam. 12, 1. & alibi passim in veteri Testamento. Et nullum locum facile quis adducere poterit, ubi propheta jussu & mandato Dei aliquid dicit, in quo non statim videri possit, illum tale mandatum à Domino habere. Imo propterea ipsi falsi prophetæ hoc signo semper authoritatem suis prophetiis conciliare voluerunt. Exemplum legitur 1. Reg. 22. ubi Zedekias dicit: *Sic dicit Dominus &c.* qui tamen tum temporis falsus propheta. Tamen ut authoritatem verbis suis conciliet, Dominum hæc dicere, dicit. Diabolus quidem dicit v. 18. *Dominus faciet tibi, sicut locutus est per me.* At non audet in præsenti dicere, Dominum jam per ipsum loqui. Neque etiam in contextu ulla fit mentio missionis ejus à Domino. Elegantem ergo in eo egit Diabolus mendacem, quando dicit: *Dominum hæc antea per ipsum locutum esse*, cum non per Diabolum, sed per Samuelem Dominus antea hæc locutus. Cum, si Samuelis esset, qui in textu nostro loquitur, necessario aliqua ejus missionis debuisset fieri mentio, quia 1. aliquid singulare prædicit Sauli, quod antea nondum ei per Samuelem prædictum, nimirum *tu & filii tui cras mecum eritis.* 2. Quia alias Saul & pythonissa & reliqui omnes, qui hanc historiam legunt, non possunt non manere in illa opinione, quin artis magicæ vi sit excitatus is,

qui

qui apparuit. Ideoque neceſſarium, ut etiam vel Samuel ipſe, ſi verus fuiſſet, ſe jam à Domino miſſum eſſe probaret, vel textus ejus miſſionem confirmaret. Nam non adeo ſimpliciter alicujus verbis eſt inſiſtendum, ſi dicat, ſe à Domino miſſum, vel ſe talem aut talem eſſe, cum multæ probabiles in textu rationes, quæ contrarium evincere videntur: ſed etiam neceſſarium, ut ipſum Spiritus S. teſtimonium adſit. Alias enim ut hîc Diabolus ſe pro Samuele, ita alibi falſi prophetæ ſe pro veris venditare poſſent, dicentes, *ſe eſſe à Domino miſſos*. In quam ſententiam eleganter Chryſoſtomus Homil. 29. in c. 8. Matth. *Vnde mihi perſvadebis hoc? an quia Dæmones clamare audiviſti: Anima talis ego ſum. Verum hæc quoque oratio à fraude & deceptione diabolica proficiſcitur. Non enim anima defuncti eſt, quæ illa dicit, ſed Dæmon, qui hæc ut audientes decipiat, confingit.* Ita etiam hîc Dæmon, ut Sauli perſuadeat, ſe eſſe Samuelem, dicit, Dominum hæc antea per eum locutum.

33. *Quartum* argumentum deſumimus *ex propria hujus Samuelis confeſſione cum contextus cohærentia conveniente*, quando dicit: *quare inquietaſti me, ut aſcendere faceres me*. Quæ verba ſi à vero Samuele fuiſſent prolata, ſecundum ipſos pontificios erunt eleganter mendacia! Nam quomodo de inquietatione conqueri potuit, ſi verus Samuel, qui ſecundum ipſos pontificios inquietari non poterat. Vid. 2. Theſſ. 1, 7. Apocal. 14, 13. ac conferatur Didacus de Yangvas in Promt. Concion. p. 412. itemque Cornel. à Lapide Comm. ad Apoc. 14, 13. Clare Reyneccius tom. I. Pantheol. pag. 174. *Sauli, petenti à Pythoniſſâ, ut divinaret, & Samuelem ſuſcitaret, non apparuit Samuel, qui à ſua quiete non eſt excitatus,*

ſed aliquod phantaſma & illuſio imaginaria diaboli machinationibus facta, quam Scriptura Samuelem appellavit, ſicut imagines rerum ſuarum nominibus aliquando appellantur. Componimus igitur tale argumentum. Quicunque potuit inquietari & ſuſcitari, ille non fuit verus Samuel. Atqui hic qui apparuit, potuit inquietari & ſuſcitari. Ergo non fuit verus Samuel. Major conceditur ab ipſis pontificiis. Nimirum, Samuelem non potuiſſe inquietari aut ſuſcitari à Saule. Minor continetur in textu, nam is qui aſcendit, expreſſe dicit: *cur inquietaſti me, ut aſcendere faceres me,* ſive, *ſuſcitaſti me.* At excipit Bellarminus l. 2. de Purg. c. ult. *non quidem inquietari Spiritus, ſed diſplicere illis ejusmodi errorem.* At Samueli hoc diſplicere nullo modo potuit. Si enim Samuel à Deo miſſus, minime hoc ei diſplicere potuit, nam aut Samuel promtus fuit ad exſecutionem mandati divini, aut non: poſterius eſt abſurdum, exiſtimare Sanctos ergaſtulis corporum liberatos, minus eſſe promtos ac paratos, ad omnia obeunda, quæ Deus vult. Fuit ergo promtus, & tum ei diſplicere non potuit, quod miſſus ſit à Deo ad Saulem, quia alias Sanctorum voluntas Dei voluntati eſſet oppoſita, quod cogitare abſurdiſſimum, cum Sancti nihil magis velint, quam obedire voluntati divinæ. Non potuit ergo Samuel, ſi verus fuit, de inquietatione conqueri. Multo minus per ſuſcitationem per pythoniſſam, Saulem accuſare. Quia tum verus Samuel eſſe non potuit, utpote qui incantationibus magicis ſuſcitari minime poterat, ceu ſtatuunt Bellarminus, Sanctius, ac pontificii communiter. Quoquo ergo ſe vertant Pontificii, nullo modo ſe expedire poſſunt. Nam aut ea umbra apparuit vi artis magicæ evocata, aut vi artis

tis magicæ non apparuit, ſed juſſu divino. Si vi artis magicæ, fatetur ipſe Bellarminus, non eſſe Samuelem, quoniam Sanctorum animæ non poſſunt à pythoniſſis & Necromanticis excitari aut evocari. Sin autem non evocata ſit vi magicæ artis, ipſa umbra mentita eſt. Samuel autem mentiri non potuit. Ita quoquo ſe verterint Pontificii, alterutrum concedere coguntur, nempe aut, Samuelem fuiſſe mentitum, aut umbram hanc non fuiſſe Samuelis animam. Vt autem melius hoc argumentum adverſus Pontificios ſtringatur, ex ipſo textu, *Samuelem hunc vi artis magicæ fuiſſe excitatum*, probabimus, & quidem I. *ex immediata textus connexione*. Verſu enim 11. cum mulier interrogaſſet Saulem, quem produci vellet, hic vero ſe Samuelem produci ſibi velle, reſpondiſſet, verſ. 12. ſtatim ſequitur, *Cum jam mulier videret Samuelem.* Quem Samuelem? nimirum illum, quem ſibi Saul produci volebat. Adeo ut immediata verborum connexio nihil aliud monſtret, quam mulierem vi artis magicæ produxiſſe eum, quem Saul produci petierat, vel ad minimum putarat. II. *ex ipſius Samuelis apparentis confeſſione:* ita enim loquens introducitur: *Quare inquietaſti me, ut aſcendere faceres me.* De quibus verbis jam aliquo modo egimus immediate ſupra. Tantum addimus hoc argumentum. Aut is qui apparuit, & ſe inquietatum & ſuſcitatum dicit, volens ad incantationes magicas apparuit, aut nolens. Quod membrum Pontificii arripiant, ſe urent. Si enim dicant, volentem apparuiſſe Samuelem, arti magicæ aliquo modo propitium facient eum, qui antea dum in vivis eſſet infenſiſſimus ejus erat hoſtis. Quapropter ſine dubio

bio Sauli auctor fuit, ut pythones &c. è terra ejiceret. Neque etiam tum de inquietatione conqueri potuit, quia, ut dicitur, volenti non fit injuria: at Samueli injuriam factam esse, ex querela ipsius manifestum. Apparuit ergo nolens. At, num pythonissa vi artis Diabolicæ contra voluntatem sanctam producet animam? Ne ipse quidem Pontificius hoc statuet. III. *ex patrum attestatione:* nam omnes ferme patres in eo consentiunt, quod is, qui apparuit, vi artis magicæ excitatus apparuerit, & quia Samuelem vi artis magicæ excitari non potuisse, statuunt, hac de causa, Dæmonium aliquod apparuisse, plerique sentiunt, sicuti illud nobis volens nolens concedere cogitur Martinus Del Rio l. c. pag. 278. *Alii patres* (inquit) *nihil nobiscum pugnant, quia duntaxat negare voluerunt, vi carminis magici Samuelem excitari potuisse, & quia ipsi hanc apparitionem tribuebant magiæ pythonissæ (quod nec necessarium erat, neque verum) ideo ex tali suppositione necessario eo delapsi fuere, ut negarent, aliud quam Dæmonium apparuisse. Nos quia suppositionem illam falsam putamus, ideo hac in re à patribus illis ad alios patres recedimus.* At falsum hoc, patres nihil pugnare cum Pontificiorum sententia, quoniam illi, qui eum, qui suscitatum hic se dicit, suscitatum vi artis magicæ viderunt, ex hac suppositione verum Samuelem apparuisse negarunt. Hi vero (nimirum Pontificii) ex suppositione, veram Samuelis animam apparuisse, contra clarum textum defendere conantur, non apparuisse vi artis magicæ, eum, qui apparuit. Pugnant ergo, imo in faciem Pontificiis contradicunt. Immo si non pugnant hi Patres cum Pontificiis, mirum est, Martinum ab illis ad alios Patres recedere. Quia eo ipso, quod ab illis recedit, innuit illorum

lorum ſententiam ſtante hypotheſi horum Patrum, ſtare minime poſſe, quia alias recedere opus non erat. Quod dicit, *non neceſſarium fuiſſe, neque etiam verum, quod hæc apparitio magiæ pythoniſſæ tribuatur*, ipſis textus verbis repugnat, quæ neceſſarium & verum hoc ſtatuere demonſtrant. Ideoque nihil ad hæc reſpondet Martinus, ſed cum præjudicio ſuam præfert ſententiam, nulla alia addita ratione, quam quia ſuppoſitionem illorum Patrum falſam putat. IV. *ex Pythoniſſæ gloriatione & Scripturæ tacita illius approbatione.* Non quidem ex gloriatione pythoniſſæ abſolute ſic argumentari volumus, quaſi illius verbis eſſet adhibenda fides: ſed quia præterea Spiritus S. ad hanc mulieris gloriationem ſilet, omnino innuere videtur, hanc apparitionem ipſius arti adſcribendam eſſe. Si enim Samuel à Deo miſſus fuiſſet, & non apparuiſſet vi artis magicæ is, quem Saul produci volebat, ad eximendum lectori cogitationes de ſuſcitatione Samuelis vi magicâ, tacere omnino non potuiſſet. Quia alias non parva incantationibus illis magicis tribueretur authoritas.

34. At varias hìc cumulant adverſarii exceptiones, nempe, *Samuelem non veniſſe juſſu Pythoniſſæ, ſed juſſu Dei, & potius impediviſſe, quam confirmaſſe artem magicam. Prævenit* (ſcribit Bell. lib. 2. de Purgat. c. 6.) *Samuel adventu ſuo effectum incantationis, & contrario modo aſcendit, atque alii ſoleant, qui per incantationem excitantur. Et hæc eſt cauſa, cur Pythoniſſa turbata, & ſibi impoſitum diceret. Si enim verum eſt, quod Rabbini ſcribunt, umbræ mortuorum, quæ vi artis magicæ excitantur, capite deorſum verſo aſcendunt. Samuel autem recta figura aſcendit, ita, ut primum caput, deinde pectus, poſtremo pedes è terra emer-*

gere

gere viſſint. Et Cornelius à Lapide in cap. 46. Siracidis. *Ad primum adverſæ partis fundamentum reſpondeo, Samuelem apparendo nõ obediviſſe pythoniſſæ, nec ejus Dæmonis q. vi coactum fuiſſe, ſeſe oſtendere Sauli: ſed juſſu Dei ſponte occurriſſe pythoniſſæ: imo præveniſſe & impediviſſe ejus incantationem & effectum. Id liquet primo ex eo, quod cum Saul conſuluit pythoniſſam, illico ſe ei oſtendit Samuel, antequam ipſa ſua carmina magica recitare, ritus q. magicos (qui moroſi ſunt & longi) ad evocandam umbram Samuelis exercere poſſet, ut patet 1. Reg. 12. Secundo ex eo, quod pythoniſſa turbata eſt, cum vidit Samuelem, antequam eum evocaret. Samuel ergo non à pythoniſſa, ſed à Deo ſuſcitatus, pythoniſſæ ſponte occurrit, & incantationes prævenit, tum ut eas impediret, ne Dæmon reſponderet: tum ut Saulem & Hebræos pro hoc magiæ crimine, aliis q. ſceleribus, denuntiatione mortis & cladis futuræ caſtigaret & plecteret.* Hæc illi. Quibus gemella habent idem Cornelius in 1. Reg. 28. v. 11. Alph. Mendoza l.c. p. 422. Jeſuita Tirinus ac Sanctius in 1. Reg. 28. Suarez t. 2. Diſp. 42. Torreblanca Dæmonol. p. 97. aliique. Cum primis fabulam illam, *quod illi, qui Dæmonis virtute & magicæ incantationis vi excitabantur, adſcenderint inverſe, tenentes ſc. caput deorſum & pedes ſurſum; qui vero à Deo, vice verſa,* calculo ſuo approbat Joh. Bapt de la Nuza tr. Ev. t. 8. p. 767. idque etiam inde confirmat, *quod illi, quos Deus excitat & agit, ita ferantur, ut caput ab imis ad ſuperna elevent, mentem habeant ad ſuperna erectam, juxta illud Coloſſ. 3, 2. quos a. Diabolus impellit, ita agat, ut capite deorſum ferantur ac terrenis adhæreant. unde etiam perpetuo illis acclamat: mitte te deorſum, ex Matth. 4.* At Reſpondemus: 1. Samuel de Lublino in Vniverſ. Ariſtotel. Log. part. 2. art. 6. p. 329. adſerit, quod pythoniſſa Samuelem verum

revo-

revocarit virtute propria: negat vero quod dispensatione divina. *Nullum est enim*, pergit, *inconveniens, quod anima sancta à Dæmone fuerit excitata, ut nuntiaret regi mala imminentia.* 2. Cosmas Magalianus, Bracarensis & in Conimbr. Acad. sacr. litt. prof. lib. 2. de Eccles. principatu p. 201. expresse scribit, *Saulem interventu Magiæ Samuelem à mortuis suscitasse.* Gretserus, *Dei quidem potentia, sed non nisi positis pythonissæ incantationibus, Samuelem excitatum* scribit t. 1. Defens. Bell. p. 259.. Idem etiam ipse Bellarminus statuit. Sed in genere profitetur Jesuita Sanctius, *quod licet Bellarminus hoc statuat, nunquam tamen id sibi persuadere potuisse.* 3. Positis non ponendis, nimirum Samuelem non jussu pythonissæ excitatum, sed à Deo missum, manet tamen & mendax & injustus. Mendax, quia se suscitatum dicit à Saule, quod verus Samuel dicere non potuit: uti jam antea probatum. Injustus, ut qui Sauli hoc imputet, quod inquietatus sit per eum, cum non Saul, sed Deus eum tum inquietasset. 4. Necessario debuisset Samuel aliquam suæ missionis mentionem feciſſe, si ob illum finem, ut incantationem præveniret, & Saulem ob hoc peccatum reprehenderet, à Deo esset missus, quia alias magnam magicis incantationibus authoritatem conciliare videtur. Sed nullam suæ missionis mentionem facit, ideoque quicquid dicant Pontificii, *eum missum à Deo, ut incantationes præveniret, Saulem reprehenderet, &c.* tamdiu quam non sufficientibus rationibus probent, nos illud contra claram textus literam concedere non possumus. Sed videtur Bellarminus sibi rationem inveniſſe, à modo ascensionis: *Et contrario modo*, inquit, *ascendit, at ǵ. alii soleant, & hæc est causa, cur pythonissa turbata fuerit, & sibi impositum diceret.* Verum

unde probabit Bellarminus, Samuelem alio modo ascendisse, atque alii soleant & non eodem modo? Si ex clamore mulieris illud asserere velit, non probabit, sed destruet potius suam hypothesin. Quia longe alia ratio clamoris in textu ponitur ab illa quam Bellarminus ponit. Propterea enim clamavit, quia vidit regem. Nam expresse dicit: *Quare imposuisti mihi, cum sis Saul:* Ex quo signo vero Saulem cognoverit, nos jam disquirere nolumus. An eum cognoverit, antequam hunc provocaret? an vero prius ex provocato intellexerit? Quia nobis adversus hanc Bellarmini rationem sufficit, ex contextu posse probari, non propter ascendentem, sed propter agnitionem regis Pythonissam clamasse. Et sane hic mulieris clamor cum antecedanea denegatione optime convenit. Cum enim rex rogaret, ut sibi produceret aliquem, statim hisce denegat verbis: *Ecce, tu nosti, quid fecerit Saul, & excidit Pythones & Hariolos ex hac terra: cur ergo te ponis in tendiculum vitæ meæ, ad morte afficiendum me?* Cum vero jam ipsum Saulem cognosceret, non aliud putavit, quam nunc actum esse de vita sua, sibique ultimum illuxisse diem. Quoniam opinabatur, eum propterea venisse, ut illam occideret. 4. Quod attinet figmentum illud, quod Bellarminus Rabbinis tribuit, & ad confirmationem suæ suppositionis adducit, multis premitur illud absurdis. Nam, unde Bellarminus, aut aliquis Rabbinorum nobis probabit, eos, qui ascendunt vi artis magicæ, ascendere capite deorsum verso? cum Raynoldus l.c. mutuis rationibus & testimoniis probet, etiam eos, qui ascendunt vi artis magicæ, ascendere capite erecto. Verum exercitii gratia Pontificiis concedamus, eos, qui ascendunt vi incantationum magicarum, ascendere capite

pite deorsum verso, tum tale formabimus argumentum: *Quicunque apparet vi artis magicæ, ille apparet, & ascendit capite deorsum verso. Atqui Samuel apparet vi artis magicæ. Ergo capite deorsum verso.* At conclusio hæc secundum Pontificios falsa. Minorem veram esse, antea probavimus, nimirum eum, qui apparet in nostro textu, ascendisse vi artis magicæ. Majorem ergo, quæ Pontificiorum, falsam esse, necessario sequitur. Si ergo omnino concedamus illud Pontificiis, quia tamen cum textu stare non potest, seipsum falsitatis arguet.

35. Sad prætermittere hic non possumus illud, quod ad hanc Bellarmini exceptionem annotavit Raynoldus l.c. p. 919. seq. Nimirum, longe alio modo eum citasse illud Rabbinorum testimonium, quam eorum est. Non enim volunt, eos, qui ascendunt vi magicæ artis, omnes ascendere capite deorsum verso, sed tantum illos, qui pro privatis evocati ascendunt. Ideoque mulier, videns hunc non tali modo ascendere, statim ex hoc ascensionis modo Regem cognovit. Nam ita, citante eodem ibid. authore, loquitur D. Kimchi: *Quæritur, quomodo norat pythonissa, esse Saulem. Dixerunt magistri nostri in Midras omnes qui evocantur vi artis magicæ, ascendere capite deorsum verso. Vnde cum illa videret Samuelem ascendentem capite erecto, intellexit, nulla de causa id factum esse, nisi ut honorem deferret regiæ majestati: Ob eam causam mulier perturbata est, quoniam verebatur, ne Saul venisset ad tentandam & perdendam eam: atque hoc est, quod dicit: quare decepisti me? cum tu sis Saul. Propterea respondit Saul, ne timeto. Non enim sum morte affecturus te, sed quid vidisti? Respondit: vidi Elohim, id est, virum magnum, & vidi illum ascendentem non secundum seculum,*

id est, non secundum vulgarem consuetudinem, quomodo vulgo solent ascendere. Ob eam causam non ascendit secundum vulgarem consvetudinem, sed ut tibi honorem deferret, mutavit consvetudinem seculi, & capite erecto ascendit. Atque hanc Judæorum mentem esse, è libro Jalkut ad 1. Sam. 28. clare ostendit Hackspanius Tract. de Script. Judæorum in Theolog. usu p. 499. idque etiam ex Tostato Abulensi in h. l. q. 29. discere Bellarminus potuisset, utpote ex R. Samuele ac R. David Kimchi idem hoc memorante. Imo & ex Magistro Historiæ scholasticæ, quo de Sanctius scribit, quod referat, *Hebræos, s.* Rabbinos *dicere, mortuum magicè suscitatum à pedibus primo moveri & surgere, nisi ad regis votum suscitetur, tunc enim à capite illum surgere.* Quæ, quam optime conveniant cum Bellarmini argumento, quod ex his verbis elicere conatur, ipsi judicandum relinquimus. Longe enim alias, quare Samuel ascenderit capite erecto, hi adferunt rationes, quam ille. Hi enim ut honorem Regiæ Majestati deferret, tali modo Samuelem ascendisse statuunt. Ille, quia non excitatus vi incantationis magicæ, sed à Deo hanc præveniendi gratia, missus. Neque hi clamoris causam dicunt, quod viderit Samuelem ascendere ante incatationem, uti post Bellarminum illum affirmant Cornelius à Lapide, Sanctius, allii. Sed quia vidit ascendentem non secundum vulgarem viam & consvetudinem, & ex hac ascensionis singularitate Regem agnoverit. Quam Rabbinorum rationem clarius, citante post Raynoldum, Lyrano in h. l. ipsi authores Midrasch exposuerunt, dum dicunt: *Qui excitantur vi pythonissæ aliter Regibus apparent, aliter privatis; Regibus capite sursum erecto, privatis capite deorsum verso.* Ita quoq; verba è Midras Vajikra

kra i. e. Expos. lib. Levitici allegantur à Petro Galatino lib. 6. de Arcan. Cathol. verit. c. 8. p. 350. Conf. quoque Munsterus ad c. 28. lib. 1. Sam. Et si Bellarminus ex his vel Davidis Kimchi verbis argumentum suum recte formasset, non potuisset tali modo concludere, quali concludere jam conatur. Quamvis alias si bene ex illis formasset, nihil tamen probaret, quoniam & Rabbinorum figmentum, æque ac Bellarmini argumentum huic superstructum rejicimus. 4. Quod vero Samuel se ostenderit, antequam carmina magica pythonissa proferret, ex contextu quidem Cornelius à Lapide probare non poterit, sed potius contrarium ex eo sequi videtur. Nam mulier juramento Regis, à timore mortis liberata cum esset, statim imperterrita Sauli formam ascendentis describit, nulloque amplius timore tenetur. Si vero Samuel ejus incantationem præveniisset, æq; turbata mansisset ac antea, & non tantum agnitionem Regis, sed subitaneam & incantationem prævenientem ascensionem timoris causam vel hæc Regi, vel Spiritus S. lectori indigitasset. Cum igitur adeo clarum sit, fictum illum Samuelem magica pythonissæ arte productũ fuisse, unde Judæi fingunt, *dari spiritus quosdam, quorum tanta potestas in animas defunctorum sit, ut eas sibi habeant subjectas, & quo ipsis videtur, corpore induant; necesse vero esse, ut id faciant intra 12. mensium spatium post hominis excessum.* Atque ita *Samuelis animam arte magica pythonissæ in corpus suum revocatam, potuisse Saulem alloqui fingunt.* Quæ sententia post veteres Judæos etiam Manassi Ben Israël arridet l. 2. de Resurr. c. 6.

36. Nicolaus de Lyra duobus exemplis priorem hanc exceptionem probare conatur. *Videtur* (inquit) *quod probabilis sit modus dicendi, quod anima Samuelis vir-*

tute divina & ejus dispensatione apparuerit, ad annunciandum Sauli divinam sententiam. Istud etiam dictum videtur concordari ei, quod habetur Num. 22. ubi dicitur, quod Balaam magus & hariolus, quater quæsivit responsum Dæmonis, bis in domo sua, & bis cum Balaac. Et tunc, secundum omnes doctores catholicos, Dæmon virtute divina fuit prohibitus dare ei responsum. Et Angelus bonus dedit sibi responsum, suæ voluntati contrarium. Nec Deus propterea vel bonus Angelus magicæ arti favebat. Sed magis effectum artis magicæ impediebat. Sic videtur in proposito rationabiliter posse dici, quod Dæmon fuit prohibitus, ad vocationem pythonissæ venire &c. Et postea: *loquitur igitur illa auctoritas de persona Samuelis, divina dispensatione suscitati non ad factum pythonissæ, nec ad meritum Saulis, sed ad confirmandum finalem scissuram Regni de manu Saul, quam ipse Samuel, cum viveret, prædixit. Et habet hoc factum aliquod simile cum facto Ochoziæ Regis Israel, qui misit ad consulendum Beelzebub Deum Accaron, sed divina dispensatione impedita est consultatio, & missus est Elias, ut patet ex 4. Reg. 1. ita in proposito Saul volens per pythonissam consulere Dæmonem impeditus: quia divina dispensatione, per missionem Samuelis prævenitus est.* Confer Cornel. à Lapide in cap. 46. Ecclesiast. Tirinum in 1. Reg. 28. At unde probabunt, Bileamum voluisse consulere Dæmonem pro Balaac Rege Moabitarum. Imo contrarium evinci posse videtur, quod Bileam, non Diabolum, sed Deum interrogare voluerit. Nam cap. 22. ubi prima vice seniores Moabitarum, ab ipsorum Rege ad Bileamum ablegati, hunc orant, ut populo Israelis maledicat, iste statim regerit: *Manete hîc hac nocte, & referam vobis quid Dominus dixerit.* Quod

vers.

verſ. 19. cum jam ſecunda vice alii redirent legati, iterum facit. Adeo ut Bileam reſponſum à Domino, non vero à Dæmone quæſiverit. Quod ſi fortaſſe alio tempore id fecerit, tum temporis tamen non fecit. Et magis patet ex v. 17. ubi Bileam tam ſtricte reſponſo Domini adhæret, ut nullo modo illud regis cauſa transgredi voluerit. *Si daret* (inquit) *mihi Balak domum ſuam plenam argento & auro, non poſſem transgredi ſtatutum Jehovæ Dei mei, faciendo parvum aut magnum.* Neque ulla ratio ex integro contextu afferri facile poterit, quo ſuam Pontificii exceptionē roborent. Si fortaſſe adducant v. 7. ubi dicitur, quod ſeniores Moabitarum iverint, cum divinationum honorariis in manibus ſuis, nihil tamen evincunt. Quia ſi ad maximum concedatur, illos homines in hac fuiſſe opinione, ut Bileamum arte magica ſeu divinatoria aliquid effecturum putarent, ab horum tamen opinione ad hujus factum argumentatio inſtitui non poteſt, cum Bileam non divinationibus tum temporis uſus, ſed reſponſum Domini exſpectaverit. Verum ſi vel maxime Pontificiis concedatur, Bileamum voluiſſe conſulere Dæmonem, & impeditum fuiſſe à Domino, ſicuti B. Lutherus in notis marginalibus ipſe hoc concedit, nihil tamen habent, unde probent, Pythoniſſam fuiſſe à Deo miſſione Samuelis præventam, quo minus incantationes ejus ſuum haberent ſucceſſum. Quia nullo modo ſequitur, Bileam fuit prohibitus uti incantationibus, ergo etiam pythoniſſa, nam exempla non probant. Præſertim cum in noſtro textu nulla mentio prohibitionis fiat, in hiſtoria vero Bileam expreſſe legatur, Angelum Domini ſtetiſſe in via, & prohibuiſſe, quo minus Bileam iter ſuum perficeret. Alterum quod attinet exemplum, de Ochozia Rege Iſraelis, nimis

illud

illud dissimile à nostra historia. Quia ibi legati Regis Ochoziæ nondum pervenerant ad Templum idoli Beelzebub, & sic ipso actu nondum peccaverant. At Saul jam omnino actu consuluerat pythonissam. Etiam magna differentia inter Regem Ochoziam & Saulem, hic enim responsum accipere à Domino non poterat: *Dominus enim non respondebat illi per Vrim, Somnia, aut prophetas.* Ideoque multo minus postea per Prophetam mortuum illud accipiet. Ille vero, si Deum interrogasset, responsum sine dubio accepisset. Nam propterea punitur Rex Ochozias, quod Dominum non interrogarit, sed Baalzebub, ubi tamen adhuc Deus in Israel, quem interrogare poterat. Id enim est, quod Elias legatis ejus dicit. *An propterea, quod non est Deus in Israel, tu mittis consultum Baalzebub, Deum Accaronis. Propterea ex illo lecto, quo ascendisti, non es descensurus, sed omnino moriturus.* Ideoque responsum accepturum fuisse, extra dubium, si saltem Dominum interrogasset. At Saul, quamvis Dominum interrogans, illud accipere non potuit. Longe etiam alia ratio inter responsionem per Prophetas adhuc vivos, & inter Prophetam jam omnino demortuum. Per illos Deum respondisse, infinities legimus in Sacra Scriptura; per hos, nunquam. Præsertim non probabile videtur, Deum per demortuum aliquem responsurum, cum ipse tam acriter prohibuerit, *ne consulamus mortuos.* Et hic ipse Deus homini, mortuos consulere volenti, per mortuum respondebit, cum hoc modo potuisset videri, Samuelem non à Deo missum, sed arte magica excitatum fuisse, ideoque arti magicæ omnino fuisset addita authoritas, si verus Samuel prodiisset. Si enim dicatur Samuelem carminibus magicis non obtemperasse, videri tamen

men potuit obtemperasse. Conf. B. D. Gerhardus loc. de morte § 174.

37. Excipiunt porro. *Non describi ritus illos, & ceremonias, quibus ad evocandum aliquem ex mortuis pythonissæ utuntur, sed statim ac Saul dixisset, se Samuelem velle produci, Samuel apparet; quod si vero Pythonissa, eum qui ascendit, vi incantationum evocasset aliquam Spiritus S. harum mentionem fecisset.* Cumprimis argumentum hoc urget Jesuita Sanctius, d. l. qui etiam ex Seneca in Oedipo refert, quibus & quam prolixis ceremoniis magi in evocatione mortuorum usi fuerint. At respondemus 1. non opus fuisse, ut Spiritus S. æque hæc omnia annotari curaret, quia ex cohærentia textus, modo ascensionis, & reliquis circumstantiis satis dilucide apparet, eum, qui ascendit vi artis magicæ, vel ad incantationes pythonissæ ascendere: omnia enim quæ hîc fiunt, tali modo fiunt, ut in evocatione aliqua fieri solent. Samuel ascendit de terra. Quod vel solum prodit, eum non fuisse à Deo missum, & verum, sed phantasticum. Quoniam si verus, non è terra ascendisset, sed de cœlo descendisset. Sola mulier vidit eum ascendentem, non vero Saul eum vidit. Quod ex interrogatione ejus manifestum, quando dicit: *qualis est forma ejus.* Si vero ipsum vidisset, non potuisset quærere, quænam ipsius esset forma. Neque etiam dissentit ipse Bodinus, sed concedit, solam pythonissam vidisse Samuelem, l. c. Dæmonol. c. 3. Solus Saul audit verba Samuelis, quod exinde probabile, quia neque mulier neque socii ejus ullam mentionem faciunt eorum, quæ dicta fuere, quæ si audivissent, sine dubio aut bellum dissvasissent, aut aliquod aliud consilium dedissent. Quæ omnia in evocatione magica, si verum est quod Rabbini, nimi-

rum R. Levi Ben Gerſom & R. Salomon Jarchi in h. l. ſcribunt, occurrunt. Quippe juxta quos ille, qui evocat, videt eum, quem evocat, ſed non audit. Qui evocare facit, audit, non videt. Alii neque vident neque audiunt. Confer Raynold. cenſ. libr. Apocr. p. 905. Münſterum ad 1. Sam. 28. pag. 279. Quæ omnia cum ita Spiritus S. deſcribat, ut facile colligi ex iis poſſit, omnia quæ facta fuere, per incantationes magicas fuiſſe facta, non opus erat, ipſas ceremonias, quibus uſa fuit hæc pythoniſſa, addere. Nam 2. aliis fortaſſe poſſent, præbere occaſionem eas imitandi, iisdemque ad evocandum aliquem utendi, ideoque ſapienter hæc Spiritus S. omiſit. Nam ſine dubio tales fuerunt hujus Pythoniſſæ actiones, ut eas Scripturæ Sacræ inſerere, ejus ſanctitati repugnaret. Vtpote quæ obſcœna, ſcandalola & talia, quæ facile occaſionem peccandi præbere poſſunt, non adeo ſpecialiter continet. Etiam 3. brevitas Spiritus S. in deſcribendis hiſtoriis uſitata, non permittit, ut omnes alicujus rei circumſtantiæ, ad veritatem hiſtoricam nil facientes exprimantur. Sicuti hæ ceremoniæ, ſive huic deſcriptioni hiſtoricæ inſertæ ſint, ſive non, nihil faciunt ad veritatem hujus hiſtoriæ. Tamen ex contextu colligere poſſumus, eum, qui hic apparuit, ad incantiones magicas apparuiſſe, & pythoniſſam omnia præſtitiſſe Saulii, quæ præſtare illam Saul volebat. Quanquam modum, quo id fecit, certis de cauſis, quas modo commemoravimus, omiſerit Spiritus S.

38. *Quintum argumentum* deſumimus ab adoratione, qua Samuel ille phantaſticus ſe paſſus eſt adorari à Rege Saule. Sic enim dicitur v. 14. *Tunc agnoſcens Saul Samuelem eſſe, inclinavit faciem ſuam in terram, &*

in-

incurvavit se ad adorandum, vel honorem exhibendum. Magnus hic iterum inter authores dissensus, num honor, quem Saul Samueli detulit, fuerit civilis tantum, an vero religiosus. Pontificii quidem, & omnes, qui veram Samuelis animam apparuisse defendunt, communiter affirmant, honorem hunc, Samueli exhibitum, non fuisse religiosum, h.e. talem, qui soli Deo debeatur. Sane diserte Nicolaus de Lyra in h. l. monet, *dicendum esse, quod Samuel permiserit, se adorari cultu δουλείας, nec hoc fuisse malum, sicut David permisit, se adorari à Nathan, propheta, 3. Reg. 1.* Bellarminus dicit: *Non fuisse λατρείαν, sed debitam reverentiam animæ Samuelis.* Eadem distinctione tueri se conantur Galat. de Arc. Cath. Verit. p. 351. ac Samuel de Lublino l. c. p. 329. Sanctius in I. Reg. 28. n. 29. *nihil novi hic Saulem fecisse,* scribit, *sed quod homo supplex ante majorem aliquam potestatem seu excellentiam præterire non poterat.* Verum quicquid sit de distinctione illa inter λατρείαν, & δουλείαν, (qua de post alios operose agunt Salmeron t. 9. tr. 28. p. 219. Bellarminus lib. 1. de Beat. Sanctorum cap. 12. add. & Henr. Lanceloz. in Anatomia Christiani deform. p. 516.) num hæc soli Deo competat, illa autem etiam creaturis communis sit, jam disquirere nolumus, quoniam ipse non Bellarminus tantum, in profanis Scriptoribus hæc vocabula idem significare largitur, sed & alii Pontificii concedunt, eas in Scripturis Sacris etiam nihil differre. Sicuti hoc jam dudum etiam à nostratibus probatum. Confer D. Gerhardum loc. de morte §. 380. D. Danhauerum Hodosoph. p. 332. it. Hodomoriæ pap. phantasm. 6. p. 100. seq. Mentzerum in Exeg. in Aug. Conf. p. 32. D. Himmelium in Tract. Method. de Natura Relig. invocat. part. 2. class. c. membr. 2. p. 284.

seqq. Sed missa hac distinctione vocabulorum, rem ipsam videbimus: *num videl. ille honor & cultus fuerit tantum civilis aliqua reverentia, an vero fuerit cultus religiosus, quo colere Saul Samuelem voluit.* Religiosum fuisse hunc cultum, defendere velle videtur Raynoldus l. p. 1061. *Caterum* (inquit) *quod negant, hanc esse λατρείαν, in eo opponi etiam aliquid probabiliter potest. Nam Saul sine dubio venit facturus ei, quem putavit à pythonissa posse excitari: Flectere si nequeo superos Acheronta movebo. At is quem potuit pythonissa excitare, fuit Diabolus sub specie mortui. Quicunque autem cultus Diabolo defertur, ille impie defertur. Ergo necesse est (utcunque interpretetur Bellarm.) ut condemnemus eam adorationem, ut impiam & irreligiosam, & quæ verisimiliter delata sit eo animo, isti personato Samueli à Saule, atque delaturus ipsam fuerat Dæmoni. Nam in omni Necromantia (ut antea docuimus) postulatur id, ut colant eum & adorent, quem excitant.* Et sane animus Sauli cum fuerit, auxilium in summa angustia quærere apud eum, quem excitari fecerat, probabile quidem videtur, eum cultu non tantum civili, sed plusquam civili, & religioso voluisse honorare eum qui apparebat. Imo Dæmones, quando excitantur ab aliquo, non externum aliquem, aut civilem cultum & honorem sibi volunt deferri, sed eum, quem alias soli Deo deferre debemus. Sicuti hoc ipse Bellarminus concedit: *Dæmones extorquere cultum Deo debitum, dum ab Ethnicis & Necromanticis excitantur.* Quam ob causam, cum Saul hoc loco necromanticus sit, hoc est, per Necromantiam Samuelem excitari faciens, ad futura opera Pythonissæ, ex excitato percontanda, tali etiam adoratione, quali à necroman-

manticis alias Diabolus adorabatur, & ab hoc expetebatur, Samuelem à Saule fuisse adoratum, extra dubium est. Atqui hæc est adoratio soli Deo debita. Imo ex ipsius Bellarmini verbis manifestum hoc est. Nam sine dubio Saul, antequam appareret is, quem evocari faciebat, à Pythonissa fuit instructus, quali honore eum afficere deberet, quem jam ejus jussu provocaret. At secundum hujus instructionem, nullum alium, quàm Deo debitum cultum offerre debuit, sicuti Bellarminus antea ipse concessit, *Dæmones, quando ab Ethnicis & Necromanticis excitantur, nullum alium quam Deo debitum cultum extorquere.* Et recte monet Jesuita Lorinus Comm. in Actor. 8, 24. *Diabolum jam inde ab initio divinos sibi honores comparare laborasse.* Quem honorem divinum Saulem etiam fictitio illi Samueli sive Diabolo larvato exhibuisse, magis inde probabile videri potest, quia Samuel ultima erat Saulis anchora, & in hunc unice spes ejus fixa, accipiendi bonum aliquod responsum. Ideoque etiam tali animo coluit eum, quali colere solent homines desperati eum, a quo se ex angustiis liberatum ipsi sperant. Qui cultus certe non est mere civilis, sed plus quam civilis, ideoque soli Deo debitus. Medium hic quidem fingit cultum Bellarminus. Ita enim l. 1. de B. Sanct. c. 12. *Adoratio, quæ debetur sanctis, est media quædam inclinatio voluntatis, cum apprehensione excellentiæ plus quam humanæ, & minus quam divinæ, cujus adorationis actus exteriores omnes fere communes sunt omni adorationi.* At qualis cultus & adoratio, quæ ponitur inter cultum humanū, & divinum? Sane Scriptura hanc distinctionē ignorat. Sed ponatur & fingatur talis aliquis cultus intermedius, quî Samuel hunc à cultu mere divino dignoscere potuit? cum omnes ejus actus exterio-

 res,

res, ſecundum ipſum Bellarminum, fere communes ſint cum cultu & adoratione mere divina. Et præcipue Saul in exterioribus ſe tali modo geſſit, ut aliquis non aliter judicare poſſit, quin adoratio ejus fuerit religioſa. Nam facie incurvata ad terram adorat, & deinde à Samuele petit, ut hic ſibi monſtret, quid faciendum ſit. Qui ritus in adoratione mere divina aliter adhiberi non poſſunt. Nam Saul hic auxilium petens, non ut à nudo homine illud petit, ſed à tali, qui illud ut Propheta Dei ſuppeditaret, ideoque ſumma cum animi humilitate hunc veneratur & adorat. Qualem adorationem verum Samuelem acceptaturum fuiſſe, minime probabile. Unde recte Gratianus cauſſ. 26. q. 5. c. 14. *non mirum,* ſcribit, *quod duobus his titulis* (quando nempe à Saule adorari ſe permiſit, quod verus Samuel nunquam permiſiſſet; itemque quando ad virum peſtilentiæ dignumque ardore gehennæ dixit: *cras mecum eris.*) *ſubtilitatem fallaciæ ſuæ prodiderit improvidus Sathanas.* Sed ſi ad ſummum concedatur, cultum hunc fuiſſe tantum civilem aliquam reverentiam, tamen probabile non eſt, Samuelem paſſurum fuiſſe, Regem, cum proſtratione in terram, eum honorare. Quia I. Sancti ſemper talem cultum rejecerunt, uti in Petro aliisque videri poteſt, qui incurvatione ad terram honorati, ſemper hunc honorem acceptare noluerunt. Confer Act. 10, 25. 26. Et probe notandum, quod hi honorem rejecerint, qui tamen ipſis deferebatur ab hominibus piis, religioſis, & de quibus dubitare non poterant, quin honor, quem ipſis deferebant, eſſet tantum civilis. At hic Samuel acceptat honorem ſibi delatum ab homine ſumme impio, à Deo relicto, & quem tali devotione & humilitate eum colere videt,

videt, quali cultu ii qui mortuos evocare faciunt, colere ſolent eum, qui evocatur. Qui cultus, juxta ipſum Bellarminum eſt talis, qui ſoli Deo debeatur. II. Prophetæ in V.T. nunquam à Regibus tali modo fuere honorati, quali Saul Samuelem honorat, ſed potius Reges ab his fuere honorati. Exempla in V. T. ſunt manifeſtiſſima. Sed tantum ſumatur illud, quod contra ſe ipſum, tamen pro confirmatione ſuæ ſententiæ allegavit Nicolaus de Lyra (quod facit etiam Galatinus d. l.) nimirum 1. Reg. 1, 23, 24. ubi propheta Nathan intrans cubiculum Davidis, *facie ad terram incurvatâ Regem adoravit.* Sed non legimus, Davidem è contrario aliquo civili honore, & quidem tam ſingulari affeciſſe Prophetam. Debuiſſet ergo Samuel Regem, non hic Samuelem adoraſſe, ſi juxta hoc exemplum hæc res eſſet explicanda. Sed quia ſecus factum, nos potius exinde concludimus, non fuiſſe hunc verum Samuelem. Quia alias Saulem honorare debuiſſet. Quapropter etiam Judæi ſtatuunt, Samuelem Regiæ Majeſtati voluiſſe honorem deferre, in eo, quod capite erecto, non deorſum verſo, ſicuti alias communiter, umbræ vi artis magicæ, non Regibus, ſed privatis evocatæ aſcendere ſolent, aſcenderit. Si ergo verum, quod Rabbini ſcribunt, (ut Bellarmini phraſi utamur) Samuelem ad honorem Regiæ Majeſtati deferendum, honorificentiori modo aſcendiſſe, atque umbræ alias aſcendere ſolent, nullo modo concedere poſſumus, eum, ſi verus fuiſſet, honorem illum à Rege acceptaturum fuiſſe, quem ipſe Regi, ob Regiam dignitatem deferre tenebatur, quem immediate antea ob eandem cauſam, inſolita aſcenſione honorabat. III. Quia Samuel ipſe, cum etiam adhuc in vivis eſſet, Saulem ut Regem honoravit, uti legimus 1.

Sam.

Sam. 15, 27. ubi Samuel, cum Saul jam ex pugna Amalekitarum redieris, mandatum Domini non impleverat, hac de causa ipsi eandem hanc pœnam, quam jam Diabolus repetit, prædicabat, jussu tamen Regis ob populum Saulem honoravit. Ex hoc igitur loco & 1. Reg. 1. videtur posse colligi, hanc fuisse consvetudinem in Israele, ut Reges etiam ab ipsis prophetis honorarentur. Vbi præter hæc loca, ex aliis abundanter videri posset. Si ergo Samuel Saulem, jam omnino à Deo rejectum, ut non amplius esset Rex, tamen ob populum honoravit, ob Regiam Majestatem, probabile non est, eum jam post mortem voluisse ab ipso Rege honorari. Sed excipiat aliquis, *Longe aliam esse rationem inter Prophetam, vel Sanctum adhuc vivum, & inter jam omnino demortuum. Verum quidem esse, Prophetas vivos adhuc Reges debuisse honorare, ad demortuis hoc non procedere, sed potius hos à vivis, licet etiam Regibus, honorari.* At unde probabunt, hunc honorem sanctis competere jam demortuis. Ex hoc loco id evincere velle, est principium petere. Alium Scriptura facile non suppeditabit. Sane Angeli, quibus demortui jam sancti æquales, honorem religiosæ adorationis rejiciunt, ut in Angelo illo Apocal. 19, 10. videri posset. Ideo neque Sanctos demortuos hunc admissuros, probabile. Omittimus jam, quod Ludovico ab Alcasar. Comment. ad d. l. Apoc. p. 792. per angelos illos, qui adorationem recusarunt, intelligat Petrum & Paulum jam tum inter cœlites triumphantes. quæ interpretatio sicuti minus commoda est, ita vix sine risu legi potest, quando idem ibid. scribit, *quod licet respectu Petri, quatenus fuerit Christi vicarius, non esset nimia illa adoratio, quam ei Johannes exhibuerit, primis tamen illis Ecclesiæ seculis temporis ratio non tulerit, ut qui ex*

ab-

absconditò erat Christi vicarius, tanta reverentia, quoad exteriorem manifestationem, coleretur. Et si hîc locum habet illud Judæorum, Samuelem Regiæ Majestati voluisse sua adscensione erecto capite honorem deferre, locum hæc exceptio habere non potest. Agnoscens igitur Galatinus infirmitatem dictæ exceptionis, aliud latibulum quærit, nempe *Saulem, non Samuelem, sed Deum adorasse.* Verum contrarium ex contextu patet vid. v. 14.

39. *Sextum* argumentum desumimus à prædictione Samuelis, quando dicit: *Cras tu & filii tui mecum.* Quæ verba aut non sunt à vero Samuele prolata, aut eleganter mendacia, si ab illo prolata. Quod posterius, quia absurdum est, manet prius. Verba autem hæc si sint Samuelis, fore mendacia, inde patet. Quia neq; secundum animam, neque secundum corpus, Saul cum Samuele fuit. Non secundum animam, quia Samuelis anima fuit in cœlo (vel secundum Pontificios im limbo patrum) in quod Samuelem perveniisse, nemo facile dixerit, ut qui ex desperatione sibi ipsi manus violentas injiciens, in peccato exstinctus fuit. Testatur quoque Didacus Alvarez Metinensis, Archi-Episc. Tranensis & Salpensis lib. 5. de auxiliis divinæ gratiæ, p. 370. *Communiter Doctores Catholicos tenere, Saulem fuisse reprobatum & damnatum,* quod colligant inter alia ex 1. Reg. 28. *Dominus à te recessit.* Non etiam secundum corpus cum Samuele fuit, quia hujus in terra quietum jacebat, illius die proxime sequente illum, quo hæc futura Samuel prædicit, à Philisteis fuit capite truncatum, & postea suspensum.

40. Varia hic Pontificii excipiunt. Bellarminus inquit, *illud mecum eritis, non significare, in sinu Abrahæ eritis, sed eritis mecum sub terra, i.e. mortui.* Lyra in h. l.

ſtatuit: *Dicendum, quod Samuel dixit Sauli, ipſum fore ſecum in craſtino, i. e. in ſtatu defunctorum, nec plus inquit, ſonat authoritas. Quia ſi ſonaret ſtatum ſanctorum, eadem ratione deduceretur ad oppoſitum. Quia dixit Sauli: cras tu & filii tui eritis mecum. Jonathan autem itidem interfectus, erat vir valde bonus ac perfectus, ut patet ex ſupra dictis in pluribus locis. Propter quod tenendum eſt, quod fuerit receptus in partem Sanctorum. Et ideo, ſi ex Saule arguitur, fuiſſe Dæmonem, eadem ratione ex Jonathan arguitur, ipſum fuiſſe Samuelem.* Martinus Del Rio l. c. p. 130. ita diſſerit: *Nec obſtat, quod objiciunt, eum dicere: Cras mecum eris, quod de vera Samuelis anima dici non queat. Quia hæc in limbo, Saulis in inferno. Quomodo mendacium tribuatur prophetæ? Non, inquam, hoc obſtat. Vel enim poſſunt illa verba (ut ait B. Auguſtinus) ad ſimilem mortis conditionem referri, q. d. Cras mecum eris, non unus viventium, ſed unus mortuorum. Craſtinus tibi dies ultimus illuceſcet. Vel ſane ad loci & habitationis viciniam referentes; dicere poſſumus: cum aliquo eſſe qui in eadem eſt urbe, licet non in eadem domo. Limbus vero Patrum, & locus Gehennæ ejusdem inferni ſunt habitacula, ut domus unius oppidi.* Eodem modo, quod nempe *mecum eris*, h. l. ad parem non *loci* ſed *mortis* conditionem referebatur, exponunt Pet. Galatinus de Arc. Cath. verit. l. 6. c. 8. it. Sanctius ac Corn. à Lapide Comm. in 1. Reg. 28. Samuel de Lublino l. c. alii. Ad eundem circiter modum explicant quoque Corn. à Lapide in Eccleſiaſt. c. 46. Pererius in Exod. p. 214. At reſpondemus 1. nunquam phraſis illa, *mecum eſſe*, vel *cum aliquo eſſe*, quando de certo individuo dicitur, de generali mortis vel vitæ ſtatu, in ſacro Codice ſumi, ſed ſemper de ſtatu illo, in quo vivit vel degit is,

cum

cum quo futurus aliquis dicitur. Sic quando Paulus Phil. 1, 23. optat *esse cum Christo*, non tantum optat mori, vel generalem aliquem statum in quo tamen cum Christo esse dici posset, sed specialiter vitam æternam intelligit, in qua, cum & apud Christum esse desiderat. Neque verba illa in nostro textu, de statu mortis intelligenda esse, evincitur ex apparitione animæ Samuelis. Nam Saul futurus erat cum eo, quod apparebat. Jam vero, secundum Pontificios, anima Samuelis apparuit. Ergo cum hac Saulem futurum, necesse est. Quia vero hoc repugnat, Saulem, ut hominem impium, futurum in eodem loco cum homine sanctissimo, manet, hunc Spiritum, qui apparuit, non fuisse animam Samuelis, sed malum aliquem Spiritum, nempe Diabolum. 2. quod attinet illud, quod Lyranus excipit. Nimirum: *eodem modo nos deduci ad oppositum, si enim ex Saule dijudicetur, fuisse Spiritum malum, eodem modo ex Jonathan, judicari posse, fuisse Samuelem. Qui Jonathan, ut vir justus, sine dubio salvatus.* Nihil hoc facit contra nos. Quia nos non absolute inde argumentamur, quia Diabolus, vel is, qui apparet, dixit, *cras tu & filii tui mecum, & vero Saul sine dubio non fuit salvatus, ideoque is, qui apparet, non est Samuel, sed Diabolus.* Sed præcipuum argumenti nostri nervum in eo ponimus, quod hic Samuel mentitus sit in hisce verbis. Quia si vel de statu salutis, vel damnationis explicentur, tamen manent mendacia. Si enim illud *mecum eritis* explicetur de statu vitæ, & saluris, tum falsum est, Saulem fuisse cum Samuele, quia Saulem salvatum, nemo Christianorum (de Judæis quidem tale quid affirmantibus commemorant Galatinus ac Alph. Mendoza, & ex horum quoque mente Münsterus ☞ *mecum eris*, explicat de מחיצת הצדיקים

i. e. *thalamo justorum.* Sed ab hoc ipso, sententia illa, utpote erronea, rejicitur) facile dixerit. Si vero de statu damnationis illud *mecum eritis*, quis interpretetur, de Jonathane falsum id esse nemo non videt. Quia vero absurdum, imo blasphemum est dicere, Prophetam, virum sanctissimum, vitæ æternæ hæredem, adhuc mentiri, sequitur, quod hic Samuel non verus, sed phantasticus & Diabolicus fuerit. Conf. D. D. Danhaweri Arist. in orcum recid. p. m. 42. Quapropter Rabbini in Midras, hoc *mecum*, etiam de æqualitate beatitudinis exponentes, alio modo Samuelem hunc à mendacio liberare conantur, dum Saulem salvatum volunt, propterea, quod in bellum descenderit, etiam cum conditione mortis, & non fugerit. Etiam ea de causa, quod rubore suffusus fuerit, sive pœnitentiam egerit propter illud factum Nob. Addunt iidem, Saulem, cum Samueli excitationis causam exponeret, propterea nullam Vrim fecisse mentionem. Ast, cum extra dubium sit, Saulem non fuisse salvatum, hanc Judæorum solutionem approbare non possumus: assumemus tamen, quod ipsi Judæi illud *mecum*, non de generali aliquo statu, sed speciali loco, in quo Saul cum hoc, qui ei apparuit, postea fuerit, interpretentur. Sed confirmare nititur Sanctius d. l. sententiam illam, quod כ *cras tu & filii tui mecum eritis*, nihil aliud notet, *quam Saulem cum filiis excessurum è vitâ esse, sicuti ipse Samuel excessit, & aggregandum esse defunctorum numero, inde, quod hic loquendi modus usitatus sit Hebræis, qui, dum aliquem mortuum esse significant, hoc ferme modo explicare soleant:* appositus est ad parentes *seu* aggregatus est cum mortuis; item esse ac requiescere. *quod non tam ad animam, quam ad corpus pertineat.* Verum (ut jam non tangamus, quod falsum

sit,

ſit, phraſin illam *aggregari cum mortuis*, ſive *apponi ad parentes*, vel quod eodem recidit, *colligi ad populum ſuum*, non tam ad animam quam ad corpus pertineat, adeoque etiam de impiis adhibeatur. Etenim nuſpiam in tota Scriptura Sacrâ phraſis illa de morte reproborum & impiorum uſurpatur, ſed ſemper de beata piorum morte, 2. Sam. 12, 23. Actor. 13, 36. ſciendum, quod non par, per omnia phraſium à Sanctio adductarum ratio ſit cum ea, quæ hic adhibeatur, ceu conſtat. Debuiſſetque Sanctius vel unum ſaltem adducere locum, ubi phraſis, *eſſe cum aliquo*, de morte in genere, non vero de mortui ſtatu poſt mortem adhibeatur. Quod dum non facit, patet, quod in probando ſuccumbat. 3. Martinus Del Rio videns hæc verba, *mecum eritis*, non aliter poſſe explicari, quam de certo quodam loco & ſtatu ſpeciali, in quo Saul cum Samuele fuit, adhuc alio modo ſolvere hanc difficultatem conatur, & ad viciniam habitationis hæc verba refert. Hanc nec averſatur interpretationem Corn. à Lapide Comm. in Eccleſ. c. 46. par. 2. p. 458. Sed ſi tali modo Scripturam explicare velimus, peſſimam etiam hæreſin ex ea defendere poterimus. Qualis enim eſt hæc interpretatio. *Cras tu & filii tui mecum*, i. e. *Ego ero in limbo, tu in gehenna unius inferni diverſa habitacula.* Vnde vero probabit Martinus, dari talem limbum, & quidem Gehennæ proximum? nullus certe Pontificiis unquam hoc probavit, neque in æternum probabit, tacente quippe de hoc figmento Scriptura. 4 Quod vero Auguſtinus dicit, *hæc verba poſſe ad ſtatum mortis referri*, nihil eſt conra nos. Quia Auguſtinus non refert ad ſtatum mortis, ſed tantum dicit, *poſſe referri, & etiam tali modo explicari.* Quæ vero Auguſtini vera mens de his verbis fuerit, ſatis

patet ex iis, quæ habet l. 2. de mirabil. Script. c. 11. Vbi diserte: *Vnde* (inquit) *non hunc esse Samuelem illum Prophetam, per factum facilius intelligitur: sed Diabolus, qui se transfert in Angelum lucis in Phantasia Samuelis considere-tur. Quod ex sermonibus ejus recte dignoscitur, quoniam funesto Sauli dicebat, Tu & filii tui mecum eritis. Etenim si verus hic Samuel ostensus esset, nullo modo iniqvum Regem consortem sui meriti post mortem diceret.* Cum ergo jam sententiam nostram suis probaverimus argumentis, & hæc à præcipuis exceptionibus vindicaverimus, restat, ut etiam illa videamus fundamenta, quibus suam fulcire conentur Pontificii opinionem.

41. *Primum* desumunt ex *Siracidis c. 46, 23. testificatione*, hæc quippe ibi leguntur verba: *Posteaquam vero obdormivisset, prophetavit, demonstrans regi mortem ipsius, & extulit è terra vocem suam, prophetia indicans, deletum iri iniquitatem populi.* Vrgent hoc fundamentum Pontificii communiter. vid. post Abulensem in h. l. q. 28. Cotonus l. 4. Inst. Cath. c. 11. Bellar. l. 2. de Purg. c. 6. Alphonsus Mendoza in Controv. Theol. p. 417. Pererius in c. 7. Exod. Disp. 8. p. 210. Paludanus in Vindic. Theol. p. 84. Sanctius in 1. Reg. 28. n. 15. Jesuita Erbermannus itidem præcipuam vim sententiæ Pontificiæ pro veri Samuelis apparitione collocat in libro Ecclesiastico, diserte quippe t. 1. lib. 2. p. 214. Vindic. Bell. scribens: *Si Calvinistæ Ecclesiastici librum haberent inter Canonicos, non facile dubitare possent, vere Samuelem tunc ab inferis reversum prophetasse: satis enim aperte ibi indicatur.* Ex hoc igitur dicto tale faciunt argumentum: Quicunque obdormivit, ille idem est cum eo, qui prophetavit, demonstravit Regi mortem suam &c. Atqui non Diabolus, sed Samuel

obdor-

obdormivit. Et eo firmius argumentum ſuum eſſe putant, quod tam accurate conveniat cum narratione hiſtorica 1. Sam. 28. ubi prius etiam Samuelis mors, & immediate infra hiſtoria de ejus evocatione per Saulem, opera pythoniſſæ, recenſeatur. At reſpondemus 1. Librum hunc eſſe apocryphum, ideoque argumentum ex illo petitum, ſi non conveniat cum canonica Scriptura, nihil probat. Imo ex eo ipſo, quod hic liber hanc hiſtoriam ſic deſcribat, vel citet, quaſi revera Samuel à mortuis excitatus prophetavit, Viri docti probant, librum hunc non eſſe inter Canonicos referendum. Sicuti Raynoldus Cenſ. lib. Apocr. hoc argumentum latiſſime deducit, & firmiter ex hoc loco probat, hunc librum non eſſe canonicum, utpote quod aſſerat id, quod eſt contra veritatem canonicam. Confer. etiam D. Danhawerus Hodoſ. Phænom. 4. p. m. 277. B. Gerhardus Diſp. Iſag. L. de Sc. S. c. 7. §. 4. it. Confeſſ. Cathol. lib. 2. ſpec. art. 1. c. 1. §. 7. Accedit, quod ipſi paulo eruditiores pontificii, pridem ad teſtimonium Siracidis ſatis accurate reſponderint. Placet audire Cornelium Janſenium, Epiſcopum Gandavenſem ad d. l. Sirac. ubi more ſuo egregie: *Autor* (ſcribit, loquitur vero de Siracide) *ſeqvutus eſt hiſtoriæ narrationem. Proinde ſicut illa legitur de imaginario & phantaſtico Samuele, tanquam de vero, qualem ſuo merito decepti pythoniſſa & Saul eſſe crediderunt; ita & iſte. Nec obſtat, quod in laudem Samuelis hic iſtud afferat, quia ad laudis illius hoc facit, quod in illius & bonitatem & veritatem Saul in ſumma conſiſtens deſperatione conſiſus ſit, quodque illius merito Deus per malignum ſpiritum, ab Angelo edoctum veritatem prædicare & revelare voluerit, ut ob id, quaſi Samuel ipſe futurorum eventum prædixerit, quia propter illum veritatem prænunciari*

ciari & prophetari permiſerit. Jeſuita Gretſerus in Defenſ. Bell. t. 2. p. 261. monet: *quodſi is, qui apparuit, non fuiſſet ipſe Samuel, nihil tamen erroris Eccleſiaſticus admiſiſſet: quia,* ſcribit, *quæ in aſſumta alterius perſona geruntur, adſcribi poſſunt illi, in cujus perſona geruntur, ut notum omnibus, quibus livor & ignorantia oculos non extinxerunt.* Corruit ergo gloriatio illa Martini Del Rio. l. c. p. 130. Quando dicit: *Adverſarios nondum ſatis efficaciter reſpondiſſe clariſſimo illi teſtimonio Siracidis.* Etenim non opus eſt, multum reſpondere ad argumentum aliquod ex libro non canonico, ſed apocrypho petitum, quia eo ipſo quod dicatur & demonſtretur, librum eſſe apocryphum, ſatis reſpondetur. Quemadmodum & B. D. Chemnit. part. 3. Exam. Concilii Trid. p. 206. in hac reſponſione acquieſcit. Pontificii vero è contra, ut, non tantum veram Samuelis animam apparuiſſe, ſed & alios errores ex hoc libro defendere queant, autoritatem hujus libri canonicam eſſe volunt. Quod ut magis probent, multi à Salomone conſcriptum dicunt. Obſtante tamen prologo, qui Jeſum Sirach, non vero Samuelem authorem inſinuat. Verum apocryphum hunc eſſe librum, & à Canone excludendum, non tantum multi Patres docent, ſicuti ipſe Martinus Del Rio itemque Jod. Coccus, cujus verba ſupra adducta, concedere coguntur, ſed illorum etiam ſignorum, quæ alias omnibus Vet. Teſtamenti libris canonicis competunt, abſentia id monſtrat. Non enim ſcriptus eſt ex inſpiratione Spiritus S. quia author veniam petit, ſi ſententias Hebræas non ita commode verterit, quod ſane Spiritus S. non facit. Alia tranſimus brevitatis ſtudioſi, videri ea poſſunt apud B. D. Gerhardum loc. de Scriptura S. B. D. Waltherum in officina Biblica, & alios ſupra §. 9. indicatos. 2. Nonnullis

magis

magis arridet respondere, Siracidem non voluisse multum inquirere, num ille, qui apparuit, fuerit verus, an vero phantasticus Samuel, ideoque tantum secundum externam speciem hanc historiam allegare. *Hoc loco* (inquit Lavaterus de spectris p. m. 147.) *possem respondere, hunc librum inter canonicos veteris Testamenti libros non numerari, neq; controversa dogmata illius authoritate comprobanda esse, (id quod etiam D. Augustinus in libro de cura pro mortuis gerenda confitetur) sed quomodocunque hæc habeant, simpliciter dico: Siracidem tantum voluisse adducere historiam secundum literam, non voluisse disputare, verene Samuel fuerit nec ne. Loquitur secundum opinionem Saulis & pythonissæ, qui putarunt ipsum Samuelem suscitatum esse.* Et certe non infrequens hoc in scriptura, ut, quando allegat aliquam historiam, secundum exteriorem apparentiam eam allegat. Inter multa exempla unum habe. Gen. 3. legimus, serpentem callidissimum inter animalia agri, omnium nostrum matrem seduxisse. Neque tamen in contextu ulla expressa fit mentio, obsessum hunc fuisse à Diabolo. Quod tamen ne ipsi quidem Pontificii negant. 2. Cor. 11. 3. Apostolus Paulus hanc historiam allegans, etiam dicit: *Serpentem Evam calliditate sua seduxisse.* Non quod Apostolus in ea fuerit opinione, quasi nudus serpens Evam seduxisset, sed quia in ipsa descriptione historiæ, Sp. S. serpentis tantum fecerat mentionem, quamvis tamen ex connexione verborum, Diabolum sub hoc serpente latuisse, satis videri possit. Ita ergo etiam dicere possumus, Siracidem tantum Samuelem nominasse, quia in descriptione historiæ etiam tantum ejus mentio fit, satis tamen ex ipsis hujus Samuelis actionibus supra probavimus, non verum, sed phantasticum Samuelem fuisse eum, qui arte magica evo-

 catus

catus hic apparuit. §. 42. Sed urget Jesuita Sanctius in 1. Reg. 28. n. 15. *quod illa, quæ Eccl. 46. de Samuele narrantur, nullo modo in Samuelis umbram & speciem inanem convenire possint. it. quod omnia, quæ de Samuele dicuntur, propriam habeant & historicam fidem, non figuratam & secundum nudam & externam speciem: unde pateat, quod etiam hoc historicam habere fidem oporteat.* Resp. etiam ea quæ de serpente Gen. 2, leguntur, *quod fuerit callidus præ omnibus animalibus agri,* propriam & historicam habent fidem, non figuratam, & secundum nudam & externam speciem. Ergo etiam id, quod porro de seductione Evæ, per serpentem facta subjungitur, propriam & historicam habet fidem, h. e. de serpente naturali accipi debet. Id vero adserere, absurdum est secundum ipsos Pontificios interpretes. Ad illud, quod Sanctius porro excipit: *Si tantum apparuisset Samuelis umbra, & hæc veteratorio dæmonis artificio simulata, quæ esset Samuelis tanta commendatio? &c.* jam pridem respondit Episcopus Jansenius, cujus verba paulo ante adducta repetere supersedemus. Nolumus quoque jam discutere, quam jejune respondeat Sanctius ad ea, quæ Strabus Fuldensis ex Augustino monuit, videl. *quod is, qui vidit in somnis speciem Augustini, aut Christi, Augustinum, it. Christum se vidisse dicat: quemadmodum etiam Pharao, licet species saltem spicarum & vaccarum in somnis viderit, tamen spicas & vaccas se vidisse dicat: similiter licet Saul speciem sive Phantasma Samuelis viderit, nihil tamen impedire, quo minus Samuelem vidisse dici possit: item licet phantasma solem Samuelem mentiens loquutum sit ac prophetarit h. e. futura prædixerit; Samuelem tamen locutum esse ac prophetasse, recte dici posse.* Ad hoc, inquam, ac contra quam alias solet, ubi veritatem defendit, respondet Sanctius:

plane,

plane, ut vides, multa hic dicuntur, quæ non bene in umbram conveniunt: & cum verba Samuelem sonent, neque in verborum proprietate aliquid videatur absurdum (hoc vero sequi, si de vero accipiatur Samuele jam tum supra ostensum fuit) *verborum omnimoda proprietas deserenda non est.* Num vero etiam pythonissa ea fuerit in opinione, ut verum Samuelem ascendere existimarit, jam disquirere nolumus, sed in medio relinquimus. Martin. Del Rio hanc responsionem, adductione vulgatæ versionis eludere conatur. *Respondet* (inquit) *Adversarius ad Ecclesiastici locum c. 46, 23. duntaxat voluisse scriptorem præcipuas Samuelis laudes commemorare, parumq; sollicitum fuisse, an visio illa ficta an vera fuerit. Sed contra hoc verba non patiuntur; nostra autem versio habet: Et post hoc dormivit & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltavit vocem ejus de terra in Prophetia, deleri impietatem gentis. Notum fecit Regi, post mortem suam ipse Samuel, sive postquam dormivit. Sic Græce:* καὶ, μὴ τὸ ὑπνῶσαι αὐτὸν προεφήτευσε. *Ipsemet igitur prophetavit, qui mortuus. Et ipse vocem suam de terrâ exiens edidit.* At nihil evincit pro sua sententia, quia nil aliud probat, quam Siracidem æque historiam allegare, ut gesta videtur. Nam æque in 1. Sam. 28. dicitur, Samuelem mortuum, mulierem vidisse eum ascendere è terra &c. cum tamen ex ipso illo capite, non fuisse verum Samuelem, antea evicerimus. Etiam Paulus dicit, serpentem *sua* calliditate, quæ calliditas naturali serpenti Gen. 3, 1. adscribitur, seduxisse Evam. Cum tamen Diabolus hujus seductionis author primarius fuerit. Sed opponunt Pontificii, *in laudibus Samuelis Ecclesiasticum memorare, quod post mortem vocem suam extulerit sive prophetarit.* Resp. Quæ vero laus Samuelis, illi prophetare, cui Deus omne responsum denegaverat. Et

num credibile est, Samuelem, inter cœlites triumphantem voluisse aliquid agere, quod voluntati divinæ adversum?

42. *Secundum* desumunt *ab expressa Samuelis denominatione*, quia passim v. 14. 15. 16. 20. vocatur *Samuel*. Vtuntur hoc argumento Abulensis ad h. l. q. 28. Petr. Galatinus de Arc. Cath. Ver. l. 6. c. 8. p. 353. Bellarminus l. 2. de purgat. c. 8. Jesuitæ Mogunt. in defens. Becani adverf. Crocium. Jesuita Cotonus instit. Cathol. lib. 4. c. 11. p. 787. Pererius l. c. &c. Sed jam dudum ante B. Augustinus arietem hunc propulsavit, l. 2. ad Simplic. & libr. 2. de mirabil. Script. c. 11. monens, *in multis Scripturæ locis imaginatis rebus tribui & adscribi verarum rerum nomina*. Quam regulam multis ibidem confirmat exemplis: *Virga magorum Ægyptiorum in similitudinem serpentis imaginata, & ille æneus in deserto* serpens *nominatur*. *Duo quoque* Cherubim *pro similitudine obumbrare propitiatorium dicuntur*. *Quinque* mures, *vel quinque* anuli *de terra Philistæorum, in castella cum arca Domini referuntur*. Tres viri dicuntur apparuisse Abrahamo, cum duo erant Angeli, tertius Jehova ipse Gen. 18. & infinita alia exempla tam ex sacris quam profanis possunt ad confirmationem hujus regulæ adduci. Imo Augustinus, citante Francisco Ruizio Valli Soletano, S. Facundi Abbate in Regul. Intelligendi S. Sc. n. 15. ipso hoc exemplo Samuelis utitur, ad demonstrandum, *Divinam Scripturam verarum rerum nomina aliquando tribuere rerum similitudinibus*. Neque quis objicere nobis poterit, Scripturam ergo esse mentitam, quia Samuelem toties nominat eum, qui tamen Samuel revera non fuerit: quia Scriptura hæc non loquitur, quasi in se ita res haberet, sed vel secundum externam apparentiam, vel etiam secundum opinionem hominum. In jure Canonico caus. 26. q. 5. c. 14, *nec mirum*. itidem hoc indicatur, quando ibi respondetur, *fieri hoc non secundum rationem veri, sed secundum externum Samuelis habitum, & Saulis fascinati intellectum*. Adstipulatur Thomas de Aquino 22. q. 174. art. 5. itidem monens, *fieri hoc secundum opinionem Saulis & adstantium qui ita opinabantur*. Gemella habet Raynerius tom 1. Pantheologiæ p. 174. Quod vero Scriptura Sacra sæpe κατ' ἐνδοξον loqua-

loquatur, h. e. tales res vel homines esse dicat, (iisque adeo etiam nomina imponat) non quales revera sunt, sed quales sibi aliisve videntur, B. D. Meisner. confirmat exemplis, è Matth. 8, 12. c. 9, 12. 1. Cor. 8, 5. Gal. 4, 4. petitis. Conf. in eandem rem D. Chemnit. Harm. Ev. in expl. loci Matth. 9, 12. D. Tarnovium in Amos p. 123. Dn. præsidem in Analect. ad Matthæi II. cc. Sic Baalem Deum vocat, non quod revera Deus esset, sed quia Deum esse homines idololatrici putabant. Confer. D. Danhaueri Hodos. phæn. 4. p. m. 277. Sic dicitur, *Serpentem* fuisse locutum cum Eva, cum non serpens, sed potius Diabolus per serpentem locutus fuerit. Et tamen Scriptura in eo non mentitur, quia hoc tantum secundum exteriorem apparentiam refert, nam videbatur quasi serpens esset is, qui loquebatur. Quod vero Scriptura ne verbulo quidem dicat, hunc non fuisse verum Samuelem, sed spectrum, nihil nobis contrariatur, quia etiam Genes. 3. ne unico quidem dicit verbulo, Serpentem illum fuisse à Diabolo obsessum. Nam Deus non solet tropicas locutiones ad hunc modum explanare, quia ab attentis lectoribus facile intelliguntur, cum in descriptione ipsa Spiritus S. alias notas, ex quibus fieri judicium de veritate rei possit, addat. Raynoldus l. c. p. 1091. priorem jam à nobis ex patribus datam responsionem mittens, adhuc aliam addit. Nimirum Diabolum propterea vocari Samuelem, quia in hac tragica Comœdia personam Samuelis gessit, & repræsentavit. Verba ejus hæc sunt. *Respondemus igitur, non ex eo consequi, Samuelem fuisse, quod Samuel appellatur. Appellari enim Samuelem, ex eo dicimus, quod gesserit personam sive similitudinem Samuelis, non quod fuit ipse Samuel. Cujus familiare & illustre exemplum proponi potest, quo de re tota dilucidius constet, ex Virgilio Æneid. 1. ubi dicitur, Venerem magnopere sollicitam de Æneâ suo curasse, ut Cupido inductus in specie Juli, ad Didonem veniret: ille* Alas

Exuit, & gressu gaudens incedit Iuli,
Mirantur dona Æneæ, mirantur Iulum.

Quid? num erat Julus Ascanius? nihil minus, sed alius quidam, qui gessit personam Juli. Hæc ille. Et hic loquendi modus in communi sermone etiam adeo usitatus cum sit, latiori demonstra-

tione opus non habet. Excipiat vero aliquis: *Indignum hoc esse, & facere ad contumeliam tanti Prophetæ, ut nomen ipsius ipsi Diabolo tribuatur.* Num ergo turpe est viro honesto, si nebulo aliquis se ejus nomine vocet? nemo sane hoc dixerit? Ita etiam nullo modo in dedecus Samuelis redundat, quamvis Diabolo nomen ejus tribuatur. Nam ipsis idolis etiam nomen Dei tribuitur, cum tamen nihil honori divino exinde decedat.

44. *Tertium* desumitur *à Saulis intellectione*, quando dicitur in textu v. 14. *intellexit ergo Saul, esse Samuelem. Certe*, (inquit Bellarminus) *non diceret Scriptura, Saulem intellexisse, esse Samuelem, sed cogitasse vel putasse, si id non esset verum.* Similia habet Paludanus l. c. At duplici modo respondere possumus, 1. Scripturam iterum hic ad ingenium Saulis se accommodare & rem ita describere, quemadmodum Saul eam fieri putabat. Nam sacræ literæ secundum opinionẽ & judicium hominum de rebus aliquando magis loqvuntur, quam secundum rei existentiam. Sic Jesus vocatur *filius Josephi*, Luc. 4, 22. non quod revera fuerit, sed quia homines eum putabant esse Josephi filium. Ita etiam in nostro loco dicitur: *Saulem intellexisse, quod esset Samuel.* Non quod revera Samuel esset, sed quia Saul putabat, Samuelem vi artis magicæ posse excitari, cum jam audiret, qualis esset ipsius forma, intellexit eum esse Samuelem, nimirum eum, quem vi artis magicæ excitari posse putabat. Ita etiam respondent Gratianus ac Thomas locis paulo ante adductis. Neque contextus permittit, ut aliter verba explicentur. Nam quærit Saul a pythonissa, quænam esset ipsius forma, nam à Saule non fuit visus, sed tantum auditus. Respondet pythonissa: *ascendit vir senex amictus pallio*; adjungitur statim: *intellexit ergo Saul sive sensit Saul, quod esset Samuel.* Cum ergo hæc tantum secundum opinionem Saulis referantur, frustraneum est, quod Bellarminus in hisce verbis patrocinium quærat. Præsertim, cum ipse Augustinus (sive quis author illarum quæstionum) in qq. Vet. Test. q. 27. nobiscum sentiat. *Illud minime* (inquit) *ad veri rapiendum est rationem, sed ad visum & intellectum Saulis, justo Dei judicio tanta hebetudine dementis effecti, ut ad Pythonissam confugeret. Saul namque reprobus factus, non poterat bonum habere intellectum. Hispanicus mentem*

Saulis,

Saulis, & habitum Samuelis descripsit, ea, quæ dicta & visa sunt, exprimens, prætermittens si vera an falsa sint. Quid enim ait? audiens in quo habitu esset excitatus, intellexit, inquit, hunc esse Samuelem. Quid intellexerit, retulit, & quia non bene intellexit, contra Scripturam alium adoravit, quam Deum. Et putans Samuelem, adoravit Diabolum, ut fructum fallaciæ suæ haberet Satanas. 2. Verba *sciendi, intelligendi,* non semper usurpari in iis, quæ certo sciuntur, sed etiam in iis, quæ tantum putantur vel cogitantur. Sic quando Matth. 25. ille, qui unum tantum talentum acceperat, dicit: *Domine noveram, te hominem esse durum, qui metas, ubi non sevisti, & inde colligas ubi non sparsisti. &c.* cui Christus respondet: *Serve male & piger, sciebas, me metere, ubi non sevi &c. Sciebat.* Atqui, qui hoc dicit in parabola, est ipse Christus, quem hominem austerum, durum esse, metere ubi non sevit &c. dicere, falsum est. Loquitur ergo Dominus tantum secundum opinionem servi, qui putabat, Dominum suum esse austerum, & ideo dicebat, sciebam de hominem esse austerum &c. cum tamen scientia ipsius esset falsa, & falsa nitebatur opinione de Domini sui austeritate. Ita etiam in nostro textu, quamvis dicatur, Saulem tum intellexisse vel sciviſſe, quod Samuel esset, hoc fit tantum secundum opinionem Saulis, qui, quia opinabatur, revera Samuelem adscendere, etiam dicitur intellexisse vel sciviſſe ex relatione mulieris, jam jam Samuelem adscendere, nimirum secundum ejus opinionem. Quæ, quia falsa, nihil nostræ præjudicat sententiæ.

45. *Quartum* desumunt *à futurorum prædictione.* Bellarminus contr. 6. lib. 2. c. 6. dicit, *fieri non posse, ut esset Diabolus, quia præduxit Saulem ea, quæ scire non poterat, nimirum sequenti die cum filiis periturum exercitum dissipandum, Davidem regnaturum &c.* Et alibi, ubi agit de lumine Prophetico, an sit nota Ecclesiæ, hanc rationem astruere & confirmare videtur, argumento desumto ex Esai. 41, 23. *Annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quod Dii estis vos*: ac subjungit statim de aliis omnibus, præterquam Deo, ac Dei servis, vaticinia multa fuisse falsa, vera prorsus nulla: *Nam* (inquit) *etsi Ethnici habuerunt multa oracula Apollinis, tamen illa vel per amba-*

ambages respondebant, quando scilicet Apollo non sciebat revera quid esset futurum, vel ea prædicebant, quæ Diaboli ipsi facturi erant, vel ea, quæ cœpta erant fieri, ignorantibus prædicebant tanquam futura, vel ea demum prædicebant tanquam futura, quæ naturales causas habent nobis ignotas, illis autem notas propter majorem naturæ subtilitatem &c. Quæ duo loca si conjungantur, videtur Bellarminus tale velle componere argumentum. Quicunque id quod futurum est non novit, ille etiam illud prædicere non potest. Atqui Diabolus id, quod futurum est Sauli, non novit. Ergo neque prædicere potest. Deinde. Quicunque aliquid prædicit, quod revera tali modo evenit, quali eventurum esse prædixerat, ille non potest esse Diabolus. Atqui ille qui hic apparet, aliquid prædicit, quod revera evenit. Ergo non potest esse Diabolus. Eandem rationem cæteri quoque urgent. vid. Gasp. Schott. lib. 2. in Phys. Curiosa c. 23. Pererius l. cit. Petrus Cotonus l. c. p. 787. alii. At respondemus, 1. falsum esse illud generale Bellarmini assertum, quando dicit, *fieri non posse, ut esset Diabolus, quia Sauli prædixit ea, quæ scire non poterat.* Nam etiam aliquis, Diabolus præcipue, prædicere quid potest, quod tamen certo non sciat, num sit eventurum, nec ne: potest enim conjecturare, quod cum postea sic evenit, pro vera prædictione venditatur. Præsertim tum id commode facere posset, quando eventum hunc vel illum fortasse futurum videt ex multis rei circumstantiis, nobis non semper cognitis, ex quibus non quidē firmiter prædicere, conjecturare tamen potest. Non ergo procedit generalis & universalis propositio. 2. Videbimus etiam, num illud verum sit, quod dicit: *Diabolum non potuisse scire, Saulem crastino die moriturum, exercitum dissipandum, Davidem regnaturum &c.* Et ab ultimo initium facientes probabimus, Diabolum maxime potuisse scire, Davidem regnaturum post obitum Saulis. Nam 1. Sam. 15, 23. legimus, Saulem à Domino fuisse rejectum, ut non amplius esset Rex. Ita enim Samuel jussu Domini eum alloquitur: *Quia sprevisti verbum Jehovæ, sprevit similiter te, ne sis Rex.* & Saule Deum exorare volente, ut peccatum hoc ipsi remittatur, secunda vice hæc verba repetit, & ne Sauli ulla spes obtinendi amplius Regnum relinqueretur v. 29. subjungit: *Non mentitur, qui est æter-*

nitas Iſraelis, neque pœnitebit eum: non enim homo eſt ut pœniteat eum. Ex hiſce ergo Diabolus ſcire potuit, Saulem regnum eſſe certiſſime amiſſurum. Quod vero Davidi regnum illud tradeudum ſit, ex cap. 17. facile Diabolus etiam colligere potuit. Nam ibi Samuel Davidem in Regem ungens, eum ſucceſſorem Saulis fore declaravit, ſicut eum in finem Davidem unxiſſe, ex v. 1. c. 16. colligi poteſt. Hæc vero cum Diabolus omnia obſervarit, facile Sauli jam prædicere poterat, Davidi Regnum Iſraelis eſſe tradendum. Quapropter in ipſa prædictione amiſſionis regni Diabolus quaſi digitum intendit ad id, quod Samuel Sauli jam prædixerat, quod ipſum prædixiſſe, mendaciter dicit. Quomodo vero mortem Saulis ac filiorum ejus, & traditionem caſtrorum Iſraelis in manus Philiſtæorum præſcire potuerit, ad id varie reſpondent authores. Quidam volunt, Deum hoc revelaſſe Diabolo, ut in pœnam Saulis hæc prædiceret. Quæ ratio non omnino videtur rejicienda, multis enim Scripturæ locis firmari poteſt, Deum aliquando opera Diaboli uſum, vel ad pœnam, vel etiam ad probationem hominum. Quærit Deus in illo concilio, quod deſcribitur 1. Reg. 22. *Quis pelliciet Achabum, ut aſcendat, & corruat apud Ramoth in Gilead?* Vno autem dicente hoc modo, & illo altero modo, tandem prodit Spiritus nequam, (quem Judæi, at ſine fundamento, Spiritum Naboth, per inſidias Jeſabel & Achab interfecti, fuiſſe fingunt) & ait, ſe facturum. Cum vero Dominus interrogaret, quo pacto id facere vellet, reſpondet: *Egreſſus ero Spiritus mendacii in ore omnium Prophetarum ejus.* Tum dixit Dominus: *Pellicies, etiamque prævalebis, exi & fac ita. Quare nunc ecce* (inquit Micha) *indidit Jehovah Spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum tuorum.* Hic ergo mandatur exſecutio illa judicii divini impuro Spiritui. Cui poſtea facillime fuit prædicere, Achabum apud Ramoth in Gilead occubiturum, quoniam mandatum ei fuerat, ut eo modo Achabum, qui hoc impietate ſua meruerat, deciperet ac ſeduceret. Eodem modo etiam Diabolus à Deo ad privandum Jobum, non tantum bonis externis, ſed & propriis liberis emiſſus, ea omnia præſcire & prædicere potuit, quia a Deo hoc illi munus demandatum. Potuit prædicere, futurum eſſe, ut Sabæi ſer-

vos ejus percuterent, ignis de cœlo cadens pecudes consumeret, Chaldæi caperent camelos, tempestas in domum ingruens, domum everteret. Eodem etiam modo hic præscire potuit futura contingeutia, nimirum Saulem cum filiis in bello moriturum, exercitum Israelitarum tradendũ in manus Philistæorum.

46. Episcopius Inst. Theol. l. 3. p. 135. nostram defendens sententiam, aliis etiam rationibus eam firmat, quas ipsius adscribere placet. *Certe si quæ talia fuerunt ea, ab iis dicta, prædicta, aut facta esse statuendum est, quando Deus populum aliquem in potestatem Sathanæ dedit, ut cum eo agat pro arbitrio suo. Tum enim prædicere potest, & facere quæ vult. Vel quando Deus populum refractarium, & ad pessima semper declinantem, punire volens, dæmonibus illis utitur tanquam asinâ Bileami ad populum extrema commeritum in errore suo relinquendum. Vt enim dæmonibus vis tribuatur, quæ creatas vires excedit, ineptum est. Causa quæ me movet est duplex. 1. Quia Deus ipse significat Ezech. XIV. se aliquando rebelli & idololatræ populo, per prophetam falsum responsa daturum, &c. Ejusque rei manifestum exemplum est 1. Reg. 22. Quanquam ibi Spiritus mendacii fuisse legitur, quod non modo non imminuit, sed multo fortius confirmat nostram sententiam. Apparet enim, Deum aliquando Dæmone, ad rerum falsarum prædictionem, ad fallendum populum uti. Cur ergo iis non utatur aliquando ad majorem dolorem, & afflictionem eorum, qui Deo deserto ad Dæmonem confugiunt, per prædictionem rerum futurarum. 2. Quia in historia Samuelis per Pythonissam evocati, quædam occurrunt, quæ vel vires creatas excedunt, & sic non nisi, vel Deum ipsum authorem habere possunt: vel creatas vires non excedunt, si Saulem plane in potestatem traditum statuamus, qualia sunt ea, quæ de Regni Saulis scissione, i. e. abscissione, de traditione castrorum ejus in manus Philisthim, deque ejus, & filiorum ejus extidio prædicuntur.* Et paulo post: *Responsum per phantasma istud datum, non nisi divina revelatione Dæmoni, ad Saulis majorem afflictionem & pœnam, juxta dictum Ezechielis, datum fuisse, prorsus in animum meum induco.* Et ex antecedanea historia, Satanam sua in potestate Saulem habuisse, non est difficile prædicere, quid eventurum esset ei, cum quo pro libero suo arbitrio agere, ut volebat, poterat. 3. Verum si ponamus, Diabolum non præsciviisse illa ex revelatione divina, neque cum Saule, ut

cum

cum eo quem in poteſtate habebat, egiſſe: tamen nos ex hac objectione expedire poterimus. Tria nimirum ſunt, quæ Diabolus prædicit. 1. Abſciſſionem Regni, & traditionem Davidi. 2. Cædem Iſraelitarum. 3. mortem Saulis. Primum absque peculiari revelatione divina prædicere potuit, quia jam antea omnino à Samuele prædictum. Secundum ex conſideratione exercituum, tam Philiſtæorum, quam Iſraelitarum cognoſcere poterat. Nam *notæ ipſi erant vires utriusque exercitus, Judæi ac Philiſtæi, nota utriusque partis arcana conſilia, noverat, Saulem juſto Dei judicio pœnæ deſtinatum, & Davidem ejus loco in Regem electum, inde facile colligere poterat prælii exitum.* Dicit B.D. Gerhardus loco aliquoties citato §. 175.

47. Tertium, quod etiam maxime urgent Pontificii, majoribus involutum videtur difficultatibus: Nam prædicit, Saulem cum filiis die ſequenti moriturum. Raynoldus in cenſ. libr. Apoc. p. 1122. rem expedire ſategit in eo, quod illa vox מחר non ſtricte denotet diem proxime ſubſequentem, ſed tempus futurum in genere. Et exiſtimat, *Diabolum in eo caute voluiſſe loqui, quia hoc facile ſcire poterat, Saulem aliquando cum filiis moriturum. Etiam facile conjecturare poterat, fortaſſe ex naturalibus nobis ignotis, ipſi vero ob majorem ejus ſubtilitatem non ignotis, in bello, ubi Iſraelitas ex conſideratione exercituum ſuccubiturus prævidere poterat, Saulem cum filiis moriturum.* Et ſane probabile videtur vocabulum illud *cras* hic non ſtricte ſumi pro die immediate ſubſequenti. Videtur enim Phantaſticus ille Samuel opponere in ſuis verbis *hodie, & cras.* Nam verſu 18. dicit: *Propterea Dominus hoc tibi hodie fecit*: Et ſtatim ſubjungit. *Tradet Dominus Iſraelem tecum in manum Philiſtæorum. Cras tu & filii tui mecum.* Sicuti ergo illud *hodie* non ſtat ſtricte pro dierum temporis præſente, ſed notat totum tempus ingruentis periculi, ita & vocabulum *cras* non notat ſequentem proxime diem, ſed tempus mali adhuc futuri. Neque etiam hæc videntur die craſtino primo ab eo, in quo Diabolus hæc prædixit futura eveniſſe. Nam ex circumſtantiis loci id manifeſtum videtur. Veriſimile enim videtur, Endorum abfuiſſe à morte Gilboa ad minimum iter unius diei, ſi non amplius. Quoniam dicitur in

textu v. 20. Saulem non sumsisse cibum tota illa die aut nocte. Est autem verisimile, cibum sumsisse, priusquam è castris egrederetur. Postea noctu Samuel evocatur, Pythonissa cibum præparat, Saul cum commilitonibus edit. Quibus rebus tota fere nox sine dubio consumta. Denique iterum illa adhuc nocte discedunt, & procul dubio, tantum dici iter faciendo consumserunt, ut impossibile fuerit, illo tempore, quod adhuc reliquum, castra movere, multo minus prælium committere. Ambiguitatem ergo habuisse in hoc vocabulo Diabolus videtur: si enim proxime sequenti die esset Saul interfectus, potuisset Diabolus gloriari, se futurum posse prædicere, etiam quo die sint eventura. Cum vero hoc jam non factum sit, Saulem sequenti die interfectum, manet tamen verum id, quod prædixerat, quia illud *cras* tum non de crastino die stricte sic sumto, sed de futuro tempore, in genere, explicari potest. Et ideo videtur illud *cras* addidisse prædictioni de morte Saulis, non vero illi de dissipatione, & cæde Israelitarum, quia si ad maximum in bello Saul neque filii occubuissent, tandem tamen una, vel alia occasione, brevi occubituros, ex statu Regni Israelitici, tum temporis pro familia Saulis periculosissimi, facile cognoscere poterat. Et sic secundum Raynoldum & alios, ad Bellarmini objectionem respondere possumus. Quamvis potius velimus subscribere illi sententiæ, quæ Diabolum hæc ex revelatione divina cognovisse, defendit. Ipsos enim Pontificios quoque fautores nancisscitur. Lyranus in h. l. hæc habet: *Ad aliud dicendum: Quod non inconveniens, dæmones prædicere veraciter aliqua futura contingentia, quæ habent per revelationem à sanctis Angelis, secundum divinam ordinationem nobis occultam.* Confer etiam Lavat. de spectris p.m. 150. Quod si vel maxime eventus prædictioni respondit, dici potest, quod per divinam revelationem Diabolo illud, quod sub Samuelis persona de Saulis morte, exercitus, Israelitici clade, &c. hic protulit, innotuerit. In hac certe sententia fuisse videtur Justinus sive auctor Qq. & Resp. ad Orthodoxos, Resp. ad q. 52. ubi ita: ἡ ἀλήθεια τῶν ῥημάτων, λέγουσιν ἐκ τοῦ θεοῦ τοῦ δεδωκότος, τῷ δαίμονι ἐν σχήματι τοῦ Σαμουὴλ ὀφθῆναι τῇ ἐγγαστριμύθῳ καὶ δεῖξαι τὸ μέλλον τῷ δηλω-

σαι.

47. Cæterum de quæſtione illa, *an & quomodo Diaboli futura præſcire poſſint*, pluribus differit B. D. Gerhardus Diſp. Iſagog. L. 7. tr. poſter. L. de Angel. c. 4. §. 15. qui omnino hic videndus add. quoque Ludov. Molina in 1. Thomæ Quæſt. 57. art. 3.

48. *Quintum* deſumunt *ab aliquoties iterata nominis Jehovæ recitatione.* Vtitur hac ratione Bodinus Dæmon. l. 2. c. 3. *Obſervandum eſt, illud ſuffragari* (ſententiæ Pontificiorum) *quod reſponſio, per Samuelis imaginem, quem Diabolum putant, Sauli facta, magnum Jehovæ nomen habet quinquies repetitum, quod etiam audire demones perhorreſcunt.* At reſpondemus 1. Non bene numeraſſe Bodinum, quando dicit, *quinquies repeti nomen Jehovæ*, quia non quinquies ſed ſexies hujus Diabolus mentionem facit. v. 16. 17. 18. bis, ut & 19. bis. 2. Nullam rationem poſſe dari, cur Diabolus nomine Jehovæ non auderet uti: cum in hiſtoria N. T. legamus, eum nomine Jeſu fuiſſe uſum, quod nomen, ſi aliquod nomen audire perhorreſcerent, fortaſſe magis perhorreſcerent, quam nomen Jehova. Act. 19. 13. quidam exorciſtæ aggrediuntur nominare ſuper eos, qui à malis ſpiritibus erant obſeſſi, nomen Domini Jeſu dicentes: *Adjuramus vos per Jeſum, quem Paulus prædicat. Reſpondens Spiritus malus dixit, Jeſum novi, & Paulum ſcio, vos autem qui eſtis?* Itaque non nomine *Jehova* ſeu *Jeſu*, ſed fide profligantur Dæmones. Cæterum cauſa, cur Bodinus exiſtimat, Dæmonem in perſona Samuelis apparentem non potuiſſe nomen Dei magnum ſ. יהוה pronunciare, forte illa eſt, quod Judæi credunt, nomen illud eſſe ἀνεκφώνητον, quæ de Judæorum ſuperſtitione vid. D. Walther. in Spicil. de nomin. Dei Controv. 6. p. 27. ſeqq. Druſius de nomine Tetragr. Sixt. ab Amama in Anti Barb. p. 473. ſeqq. D. Joh. Müllerus in Judaiſmo c. XI. p. 81. ſeqq. Bonfrerius Comm. in Exod. C. 6, 3. p. 370. b. Quod ſi vero homines pii ac fideles efferre nomen illud admirabile & ſingulare non poſſunt, quanto minus Diabolus? Adde quod juxta Hectorem Pintum Luſitanum, Theol. Doct. & in Acad. Conimbr. Profeſſ. Comm. in Eſ. C. 52. p. 383. ac Jacob. Bonfrerium Comm. in Exod. 3, 14. in nomine יהוה includatur Myſterium Trinitatis, ad quod Diabolus ita contremiſcit, ut hoc nomine ſaltem prolato continuo fugam arripiat,

ceu prolixius evincere satagit Gisbertus Schevichovius in de SS. Trinit. lib,8. p. 701. seqq.

48. *Sextum* desumunt ab *Absurdi* consecutione. Sequi enim hinc, Diabolum Samuelis Prophetæ sanctissimi personam subornasse, quod indignum tanto viro, quin & injuriam hoc ipso illi factam. Vrget hoc Nicolaus de Lyra, in h. l. Jesuita Cotonus l. 4. c. 11. admodum pathetice: *Pater luminum principi tenebrarum non concedit, in sanctorum effigie ludificari, quorum vel nomen ipsum inferos quatit & percellit.* At respondemus (B. Dn. D. Gerhardi potius, quam nostris) *id vero frivolum est, major n. injuria fuisset, si Diabolus verum Samuelem inquietasset, ac corpus ejus invasisset. Præterea sicut organa & ministri Diaboli gerunt se pro organis & Prophetis Dei, ita ipse Sathanas transfigurat se in Angelum lucis, 2. Cor. 11, 13, 14. Quid mirum si etiam in Prophetam lucis. Ecquis dixerit, honesto viro ignominiam conciliari, si perversus aliquis nebulo se pro ipso gerat.* Ideo nulla ignominia aut dedecus Samueli conciliatum fuit, licet Diabolus personam ejus subornaverit. Diserte Carolus Stengelius Monachus lib. de Monstr. c. 14. p. 509. *Memoriæ proditum est, Simonis Magi præstigiis, tres, qui communi spiritu frui desiderant, apud Phorum, Ephesi oppidum, præsente S. Evangelista Iohanne, ad vitam revocatos esse. Et à Pythonissa Samuelem suscitatum esse, sacræ tradunt literæ. Ast illi sine dubio non veri homines, sed Dæmones, simulatis Samuelis vel aliorum trium corporibus septi, fuerunt.* Quid quod ipsa experientia clare testetur, quod Diabolus in persona hominum pientissimorum appareat. Vnde Jesuita Adamus Tannerus t. 3. Theol. Scholast. Disp. 4. q. 5. tab. 2. n. 45. annotat, *quod in vita Bethæ Reuthensis miraculis clare legatur, dæmonem cum ejus incredibili abstinentiæ detractum vellet, ejus persona indutum, omnis generis cibos furtim subduxisse. Qui ipse quoque addit, ex aliis historiis constare, Diabolum subinde ad decipiendos simplices, etiam Sanctorum, imo ipsius Christi, aut B. virginis personas repræsentasse.* Annon & Monachi cumprimis sanctitatis nomine clari haberi inter Pontificios volunt? & tamen Johannes Moschus in Limonario c. 119. prout hunc allegat Gisbertus Schevichovius lib 8. de Trin. 702. refert, *malum dæmonem in Monachi veste latentem venisse ad venerandum senio & religione virum cœnobii Raithunensis, & pulsasse &c.*

50. Septi-

50. *Septimum* argumentum petunt *à Patrum approbatione. Sunt graves & complures Scriptores, qui hanc veritatem opinione ſua confirmant,* ſcribit Cotonus d. l. producitque in hanc rem Joſephum lib. 6. Antiq. c. 15. Juſtinum Dial. cum Tryphone poſt medium, Baſilium ep. ad Medicum Euſtathium, Tertullianum lib. 3 Carm. adverſ. Marcionem, Ambroſium lib. 1. in Lucam, Hieronym. l. 7. in Eſ. Bellarminus de purgat. c. 6. (quem ſequuntur Jeſuitæ Moguntini in defenſ. Becani contra Crocium,) itidem pro ſua ſententia allegat Joſephum, juſtinum, Baſilium, Ambroſium, Hieronymum, quin Auguſtinum etiam lib. de cura pro mortuis c. 15. Jeſuitæ Tirinus ac Corn. à Lapide pariter præter memoratos à Cotono Patres, Auguſtinum l. 2. q. 3. ad Simplicianum, quin & Thomam 1. p. q. 89. a. 8. allegant. Aſt Auguſtinum d. l. noſtrum eſſe, largiuntur Del Rio. l. cit. Mendoza Controverſ. Theolog. p. 413. Jodocus Coccius t. 1. Theſauri l. 5. art. 10. it. Don Franciſcus Torreblanca, Villalpandus Cordubenſis JC. in Dæmonol. p. 97. & ſatis etiam ex contextu patet. Thomam v. d. l. *dubium eſſe,* Mendoza diſerte ſcribit l. c. Cæterum opponimus Scriptoribus gravibus alios Scriptores graves, opponimus Jeſuitæ Jeſuitam, Cotono Martinum Del Rio, qui l. c. Diſq. Magic. q. 6. diſerte ſcribit, quod itidem *Scriptores ſane graves arbitrati fuerint, non ipſam Samuelis animam, ſed dæmonem larvatum ac ſubditicium adveniſſe.* Producit vero pro noſtra ſententia Tertullianum lib. de anima c. 57. Cyrillum lib. 6. de adorat. in ſpiritu, Anaſtaſium q. 37. in Scripturam, Autorem Qq. à gentibus propoſitarum, qui falſo dicitur Juſtinus Martyr q. 52. Autorem de mirabilibus Scripturæ lib. 2. c. 2. & lib. quæſt. V. & N. T. q. 27. qui libri, ſcribit, licet non ſint Auguſtini, ipſe tamen Auguſtinus huc inclinare videtur in reſponſ. ad quæſt. Simpliciani, & ad quæſt. Dulcitii. *Aperte vero,* pergit Jeſuita, *tenuit,* (ſententiam illam de Diaboli ſpectro) *D. Iſidorus* (lib. 8. Etymol. c. 9.) *Baſilius in c. 8. Eſaiæ, Eutherius, Beda, Hildegardus, & Sarisberienſis 2. Polycratici c. 22. & ambigens non parum D. Thomas non uno loco.* Hactenus Del Rio. Notandum igitur *primo,* quod plures adhuc Patres aliique Veteres Scriptores noſtræ ſententiæ faveant, h. e. verum Samuelem apparuiſſe negent,

negent, vel certe dubitent, num vera Samuelis anima apparuerit. In horum numero sunt Philastrius de hæresibus cap. 26. Gregorius Nyssenus in Epist. ad Theodosium de Ventriloqua, Theodoretus q. 62. in 1. Reg. Elias Cretensis in Orat. 1 Nazianzeni contra Eunomianos, Procopius in d. l. Paulus Burgensis addit. ad Lyran. d. l. Aug. Steuchus de perenni Phil. l. 8. c. 37. Rabanus lib. de præstig. Dæmon. Stratus s. autor glossæ ordin. in 1. Sam. 28. Joh. Gerson lib. de distinct. verarum visionum à falsis, Gratianus c. Nec mirum c. 26. q. 5. Joh. de Turrecremata in aileg. canonem, Joh. Arboreus lib. 17. Theosophiæ c. 5. Card. Cajetanus 2. 2. q. 95. art. 4. *Secundo*, quod alii quoque Pontificii laudatorum Patrum consensum nobis largiantur. Sic ut paucos saltem memoremus, nostrum esse Tertullianum, fatentur Jodoc. Coccius t. 1. Thesauri l. 5. art. 10. Pererius lib. 2. Bellarminus lib. 2. de Purgat. c. 6. p. 791. Corn. à Lapide in 1. Reg. 28. De August. l. 2. ad Simpl. q. 3. concedunt itid. Card. Bellarminus, Pererius d. l. Jodocus Coccius l. c. Tostatus Abulensis diserte q. 28. in h. l. *Si favere debemus auctoritat i Augustini, necesse est, tenere, quod non fuerit ille Samuel, sed dæmon.* De Procopio, Eucherio, Isidoro itidem fatetur Bellarminus. De Beda, Procopio, Theodoreto Cornelius à Lapide l. c. Idem Cyrillum quoque pro nostra sententia allegat, quod facit quoque Del Rio, addens insuper locum, videl. lib. de adorat. in spiritu. *Tertio*, quod falso quosdam Patres pro sua sententia Pontificii allegent, quippe cum illi vel aliorum duntaxat sententiam referant, vel alibi mentem suam clarius exponant. Id quod de Hieronymo, Basilio, atque Augustino evicit B. D. Gerhardus l. 1. Gen. Confess. Cathol. part. 2. c. 17. & supra quoque ostendimus. *Quarto*, quoq; adeo falsa sit Jesuitarum, Cornelii à Lapide ac Joc. Gretseri in Defens. Bell. t. 3. p. 262. gloriatio d. l. *quod autores plures & potiores*, ut habet Cor. à Lap. vel ut Gretserus, *quod & longe plures & illustriores Doctores* affirment, verum fuisse Samuelem. Certe si de patribus, aliisq; scriptoribus veteribus, uti videri volunt, Jesuitæ loqvuntur, falsissima est gloriatio, *plures pro Pontificiorum stare parte*, uti ex hactenus dictis satis patet. Et sic etiam refutationi objectionum, & cum hac exercitio nostro imponimus finem.

DEO SIT LAVS, HONOR ET GLORIA.